



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In  
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij  
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

**Peñafiel, Alonso**

**Lugduni, M.DC.LXXIIX.**

Sect. 1. Sententia adversaria ponitur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

## Quæst. II. In quo consistat actus liber Dei. 423

cognosci aliqua ratio congruentis boni; esse enim negationem rei nullo modo necessitatem ad diuinam perfectionem propter fines, quos sibi Deus potest talis negationis proponere, est sufficiens ratio boni, ut voluntas velit cessare à productione talis rei. Nam sicut ea est sufficiens ratio libere cessandi ab operatione, ita est congruens ratio volendi cessare.

### SUBSECTIO VLTIMA.

*Argumentum à priori contra nos positum  
sectione prima dissoluitur.*

**A**D vltimum argumentum dico, ibi bene respondendum esse illi ad vltimam replicam respondendo aliquid esse in secundo signo virtualiter additum, quod in primo signo virtualiter, & æquivalenter deficiebat, licet semper ab æterno, & à parte rei formaliter fuerit, quod in secundo signo virtualiter de nouo est, & hoc sufficit, ut prædicetur in secundo signo de Deo id, quod in primo non prædicabatur.

Vbi aduerte, Deum in indifferentia partim conuenire cum creatura, partim differre ab illa, conuenit cum creatura in hoc, quod sicut creatura formaliter ita est indifferens ut in eodem instanti, in quo determinatur per amorem, & amat per illum, poterit nolle amare; ita similiter Deus ab æterno ita semper voluit creare mundum ut poterit ab æterno velle non creare illum formaliter & in hac potestate, seu indifferentia formali consistit formalis libertas diuina, & sicut in toto illo instanti, quo amat creatura, ita formaliter est amor ut minime sit, aut in toto illo, aut in aliqua prioritate naturæ sit formaliter negatio, & carentia illius; quia ut in physicis late demonstro, non possunt esse in eodem instanti pro priori, & posteriori naturæ forma, & priuatio, quia prioritas, & posterioritas naturæ non sunt in quo sed à quo. Ita similiter formalis amor seu volitio creandi mundi ita fuit ab æterno in Deo, ut neque pro priori naturæ formaliter fuerit negatio amoris, quia libertas, & indifferentia, quæ ab æterno se determinat ad amandum non petit, imò neque potest habere prius negationem, seu carentiam formalem illius amoris, quem ab æterno habet; nam negatio, & forma, ut existant in eodem subiecto petunt necessarium successionem durationis, quia simul in eadem duratione existere repugnat, & implicat contradictionem, alias idem simul esset, & non esset; quod est contra euidentissimum, ac maximum metaphysicum principium.

Exemplo declaratur, si Deus ab æterno produxisset aliquam creaturam, ut potuit, nunquam possemus dicere pro priori aliquo naturæ, fuisse negationem, aut priuationem formalem talis productionis, quia ex suppositione, quod productio est ab æterno, nullo modo potuit antecedere priuatio illius, quia priuatio si antecedit, non solum debet antecedere prioritate naturæ, sed etiam prioritate durationis, quæ ante rem existentem ab æterno non potest dari, alias non fuisset ab æterno, ut data opera demonstro in physicis disp. de duratio-  
*ne, questione Vtrum successum, ut successum potuerit esse ab æterno; sed Deus ab æterno libere voluit creare hunc mundum; ergo pro nullo priori præcessit in Deo indifferentia, seu libertas cum negatione, seu carentia formali eiusdem volitionis, quia hoc non petit volitio libera ab æterno neque potest compati cum illa; tum propter rationes supra*

positas, quibus probauimus, non posse dari in Deo puram omissionem, aut carentiam actus positiui; tum etiam quia nulla prioritas est ut dixi, in qua possit præcedere talis carentia ad volitionem æternam. Itaque libertas, & indifferentia formalis, ut libere se determinet ad volendum, non requirit ut ante præcesserit cum carentia seu priuatione formali talis priuationis, ut videre est in Angelo qui libere voluit, imò secundum probabiliorē opinionem in primo instanti suæ creationis potuit peccare, & nihilominus in eodem illo primo instanti, nunquam præcessisset cum priuatione, seu carentia illius libere volitionis, siue bonæ, siue peccaminosæ.

Solum igitur indifferentia, seu libertas formaliter petit, siue ab æterno, siue in instanti, ut ita velit voluntas, ut poterit velle oppositum, quod sufficit ad exercitium propriū, & rigorosum libertatis & in hoc conuenit libertas creata cum increata; differt autem libertas creata ab increata, in hoc quod increata (ex eo quod ab æterno decreuerit, & non possit de nouo decernere in tempore, ut supra demonstrauimus) nunquam habuerit oppositū actum huic, quem nunc habet, neque habuerit carentiam formalem illius, libertas autem creata, quæ in tempore incipit amare, si talis inceptio non sit in primo instanti suæ creationis, siue dubio habuit carentiam formalem talis amoris; si vero, ut dicitur de Angelis, libere voluerunt in primo instanti suæ creationis, etiam conueniunt cum Deo in hoc, quod nunquam habuerint indifferentiam cum carentia formali illius primæ volitionis; Itaque hoc quod est habere, vel non habere prius priuationem, quæ actum positiuum per accidens est ad formalitatem libertatis; formale autem illius est, quod ita se determinauerit ad vnum, ut ad oppositū poterit pro suo libito determinari, quia hoc exigit dominium seu indifferentiam formalem circa suos actus, quæ sunt prædicata formaliter constituentia libertatem.

In alio autem maxime differt libertas creata ab increata, & indifferentia vnius ab indifferentia alterius, quod liberas increata ex eo quod immutabilis sit, ita physice, quæ moraliter ex suppositione quod semel ab æterno habuit decretum creandi hunc mundum, & conseruandi illum &c. nunquam mutatur sit tale decretum, ut iam supra explicui, quod aliter contingit in creata libertate, quæ quotidie mutat decreta, ex quibus omnibus euidenter solum manet argumentum à priori aduersariorū deceptioque esse illos dicendo indifferentiam Dei aliquando esse sub negatione actus positiui, quem semel habet, ut liquet ex dictis, quæ sufficiunt ad lucem offundendum sufficientem huic tractatui de libertate diuina, quæ æque difficilis est ac necessaria ad exactam doctrinam huius disputationis de voluntate Dei.

### QVÆSTIO VLTIMA.

*Vtrum Deus concurrat cum causis secundis  
aliquid imprimendo ipsis præuium ad  
actionem illarum.*

#### SECTIO I.

*Sententia aduersaria ponitur.*

**P**rima sententia est Thomistarum, asserentium Deum concurrere cum omni causa secunda, siue libere operanti siue naturaliter aliquid præuium imprimendo in ipsam.

ipsam causam secundam quod antecedit operationem eiusdem causae secundae; sed quia hic modus concurrendi potest dupliciter contingere bifariam suam sententiam explicant aduersarij. Primo enim modo dicunt ipsi moueri causam secundam à prima ad suam operationem per veram actionem in ipsam imprimendo ei aliquid quo formaliter determinatur ad talem operationem, sicut lapis per impressum impetum ad motum suum determinatur; hoc autem quod imprimitur intrinsecum causae secundae à prima. Ferrara, & alij asserunt esse qualitatem veram productam ex vi actionis diuinæ ad complendam & determinandam causam secundam, ut possit hanc potius, quam illam operationem elicere causa sic determinata.

Alij vero asserunt hoc impressum nihil aliud esse quam actionem diuinam immediate terminatam ad actionem causae secundae, ratione cuius elicitur actio causae secundae, & ut ita dicam producit à causa à prima actione propria ipsius primae causae, & hoc sensu dicunt causam primam prius natura influere ad actionem causae secundae quam ipsamet causa secunda, quia videlicet priusquam voluntas humana v. g. exeat in actum, Deus aliquid praeuium agit in ipsam, quod est esse causam suae actionis, idque generale esse dicunt in omnibus actibus cauiarum omnium creaturarum propter subordinationem essentialem harum respectu primae causae; ex quo ulterius inferunt voluntatem neque agere vnquam, nec posse aliud agere, nisi id ad quod Deus illam praemouet hac impressione.

Deinde inferunt, posita hac Dei impressione siue per actionem siue per qualitatem in voluntate creata, necessario voluntatem ipsam exire in actum, ad quem efficiendum praemota est, quia cum illa actio Dei sit per modum actualis motionis, & sit efficax procedatque ex efficaci voluntate qua decreuit Deus creatam potentiam indifferenter ad actum determinare, non potest hac voluntas resistere; sed necesse est ut Deo illam mouente ipsa talem actum eliciat. Deinde asserunt ex vi illius praeuiae motionis determinari voluntatem formaliter, & prius natura quam operetur manere determinatam ad illud vnum agendum, ad quod promotio illa diuina tendit.

Secundo inquirunt non per aliquid intrinsecè impressum praeuium ad actionem, sed solum per antecedentem voluntatem seu actum efficacem voluntatis diuinæ determinari, quo actu vult Deus causam secundam, aut voluntatem humanam agere, ad quam Dei volitionem statim sequitur actio causae secundae propter naturalem subordinationem & quasi sympathiam harum causarum; nam sicut ad nutum nostrae voluntatis mouetur brachium aut pes & potentia motiua existens in his membris efficit illum motum, non quia aliquid praeuium intrinsecum per illam volitionem in potentia motiua fiat, sed propter naturalem sympathiam & subordinationem talium potentiarum, ita aequè imò à fortiori contingit in nostro casu propter maiorem sympathiam & subordinationem quae reperitur inter causam primam & secundam.

Itaque omnes siue intrinsecè siue extrinsecè asserunt praemoueri causam secundam, in hoc vnum conueniunt quasi collatis signis, ut posita siue intrinseca, siue extrinseca impressione per modum qualitatis, aut actionis, siue extrinseca praemotione non possit vilo modo non operari

voluntas siue causa secunda id ad quod praemouetur à causa prima: haec sententia sic explicata probatur.

Primo ex diuinis litteris *Proverb. enim 21. dicitur: cor Regis in manu Dei est, & quocumque voluerit inclinabit illud, & Ieremia. 10. non est in homine via eius, & à Domino gressus hominis diriguntur & Job. 11. qui mutat cor Principum, in quibus omnibus locis aperte dicitur creaturas mutari à Deo praemoueri & praedeterminari ad actiones, quod adeo verum est ut non solum hac praemotio in Scriptura verificetur de homine recte operante, sed etiam de homine peccante actualiter, ut patet ex 2. Regum, cap. 16. Dominus praecipit Semei &c. & capit. 24. commouitque David, & Psalmo 104. declinasti semitas nostras à via tua, huc spectat, quod saepe dicitur Deum indurare corda hominum *Exodi 7. Iosue 11. ad Romanos 8. & item ex Caelare Ista 83. decipere.**

Addi etiam solent contra nos generales locutiones, quibus omnia opera creaturarum Deo tribuuntur 1. Corinth. 12. qui operatur omnia in nobis, ad Roman. 11. ex quo omnia per quem omnia. Item *Ieremia 10. & ad Ephes. 1. qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae, etiam ad Philippens. 2. Deus est qui operatur, & ex Canisicis 1. trahe me post te, & ad Roman. 1. tradere dicitur in reprobam sensum supra quae August. lib. 5. contra Iulianum, capit. 3. referens sententiam Iuliani sic ait. Quid est, quod dicis, cum desideriis suis traditi dicuntur relictis per diuinam patientiam, intelligendi sunt non per potentiam in peccata compelli, ipse sic ponit, quasi non simul posuerit haec duos, idem Apostolus, & patientiam, & potentiam ubi ait; sic autem volens Deus ostendere iram & demonstrare potentiam suam attulit in multa patientia vala irae, quae perfecta sunt in perditionem, sentit ergo August. Deum non tantum per patientiam expectare, sed etiam per potentiam in peccata compellere, & ad illa determinare.*

Alia aequè difficilia vel obsecutiora verba habet idem August. lib. de gratia & libero arbitrio, ubi cap. 20. sic ait ita esse in Dei potestate non solum bonas hominum voluntates, quas ipse facit ex malis, sed etiam illas, quae conferunt saeculi creaturam, ut ea, quae voluerit & quando voluerit faciat inclinari, & ibidem ait voluntatem proprio vicio malam in hoc peccatum iusto suo iudicio inclinavit, & cap. 21. operatur Dominus in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates, quocumque voluerit siue ad bona pro sua misericordia, siue ad mala pro meritis eorum.

Secundo probatur haec sententia ex Aristotele 8. Phys. capit. 5. & sequentibus, ubi probat vnum esse tantum primum motorem immobilem; alia vero omnia mouere illum, ut mota agant: at si causae secundae non mouerentur actualiter à prima omnes essent mouentes, immotae, & ita non posset perueniri ad vnum primum motorem immobilem.

Tertio probatur ex Diuo Thoma 1. p. q. 105. ad art. 1. ad 3. qui aut primam causam mouere causas secundas, & applicare illas ad operandum & q. 3. de pot. art. 7. ad 7. declarat hoc, quod additur, causae secundae à prima esse entitatem quandam 1. p. q. 109. art. 5. ubi sic ait causa quae est contingens oportet quod determinetur ab aliquo exteriori ad effectum: ecce causam contingentem per

## Quaest. II. In quo consistat actus liber Dei. 425

perhibet Dñus Thomas ab aliquo exteriori determinari, vt efficiat absque praeiudicio suae contingentiae, & libro primo *Perky. lect. 13.* inquit quandiu aliquid est futurum nondum est in seipso; est autem aliquoties in sua causa, quod quidem contingit tripliciter, vno modo vt sic sit in sua causa vt ex necessitate ex ea proveniat, & tunc determinate habet esse in sua causa vnde determinate potest dici de eo quod existit, alio modo est aliquid in sua causa, &c. vbi D. Thomas expresse distinguit illum duplicem modum praedeterminationis in actu primo, vnum per modum naturae, alium vt denotet promotionem intrinsecè inhaerentem voluntati habentem intrinsecam virtutem realem ad inclinandam illam vt infallibiliter Deo vocanti consentiat, vt iuxta hunc modum concedit causam in actu primo vere dici determinatam, quae est doctrina ab eodem Angelico Doctore tradita 1. 2. *quaestione 9. articulo 6. ad 3.* Vbi sic ait, sed tamen interdum specialiter Deus mouet aliquos ad aliquid determinate volendum, quod est bonum sicut in his, quos mouet per gratiam.

### SVBSECTIO I.

#### *Rationibus probatur.*

11 **P**rima sic se habet, quia omnia haec axiomata recipiuntur communi consensu; totius Scholae: causa secunda applicatur ad operandum à prima, causa prima excitat secundam ad operandum, causa secunda determinatur à prima, & sine tali determinatione non potest operari, causa secunda non agit nisi mota à prima, causa secunda subordinatur primae, vt instrumentum subordinatur artifice quae principia non possunt esse vera, nisi asseramus concursum diuinum esse aliquid impressum secundis causis actioni earum praesuppositum, secundum prioritatem naturae per modum principij ad operandum: ergo necessario ponendum est ita.

12 **P**robatur minime, quia non potest causa secunda applicari ad operandum à prima, neque excitari ab illa, vel ab ea determinari nisi per aliquid ei impressum, & praeuium actioni; nam si nihil nouum in ea ponatur, quod prius non habebat, nec dicitur determinari à prima causa neque applicari ad operandum ab ea, nec excitari ab illa de nouo, sed eodem modo se habebit, quantum ad haec omnia, nunc, & prius, & illud, quod necessario ei debet imprimi, debet etiam praecedere operationem eius, secundum prioritatem saltem naturae, quia excitatio ad operandum determinatio, & motio prior natura est operatione: ergo id, per quod excitatur, mouetur & determinatur ad operandum prius debet esse operatione ipsa.

13 **S**ecundo sic probatur, quia causae secundae non solum producant proprium effectum & propriam operationem secundum speciem, sed etiam effectui tribuunt ultimam actualitatem, & esse determinatum, quod habet, quicquid enim reperitur in effectui producit effectiua sua causa efficiente, sed istam ultimam actualitatem

*L. P. Tom. II.*

non possunt effectiue causae secundae tribuere suis effectibus nisi eadem causae compleantur in sua virtute actiua per motionem actualem primi agentis: ergo oportet quod praeuia motione moueantur ab illo vt illam ultimam producant actualitatem: minor probatur: quia omnis forma, & virtus operatiua, cuiuscumque entis creati est admixta potentiae; atque adeo non habet secundum se tam perfectam actualitatem quantum habet operatio, quae est actus secundus; ergo non potest esse principium effectiuium talis operationis, quantum ad suam ultimam actualitatem, nisi prius natura compleatur in sua virtute operatiua, per actualem motionem primi agentis; principium enim efficiens non debet habere minorem actualitatem, quam habeat effectus, quia vnumquodque operatur in quantum est actus.

Tertia ratio sit, quia vt ostendit ex professo S. Thom. 3. *contra Genes cap. 66.* esse est actus vniuersalissimus & proprius effectus solius Dei vnde in libro de causis dicitur, quod neque intelligentia dat esse nisi in quantum est diuina: ergo causae secundae quatenus attingunt esse proprii effectus formaliter loquendo sunt instrumenta Dei; ergo oportet quod moueantur ab illo prius natura quam attingant ipsum esse cuiuslibet effectus; patet consequentia, nam vt instrumentum attingat effectum principalis agentis oportet quod praeuia motione ab illa moueatur.

Quarto sic probatur ab eo, quod se habet indifferens ad vtrumlibet consequitur aliqua actio determinata, nisi ab aliquo alio moueatur, & inclinatur ad vnum determinate, vt dicit Commentator 2. *Physicorum. tex. 48.* ab eo enim quod est in potentia, & indifferens in quantum huiusmodi non potest esse determinatus actus, quia non est maior ratio quare exeat iste actus, quam oppositus, cum talis potentia secundum se, sit indeterminata, & indifferens ad opposita: sed causa libera & contingens, se habet indifferenter ad opposita: ergo non exibat ab illa determinata operatio, nisi praeuocatur à primo agente, & praedeterminetur ad vnam particularem determinatam operationem.

Quinta ratio sit, quia applicatio causae secundae ad opus est aliquid creatum distinctum à virtute operatiua talis causae, & distinctum etiam à Deo, immo necesse est factum esse à solo Deo sine ipsa causa secunda cum illa applicatio antecedat actionem.

Sexta ratio, quia ex hoc influxu nihil sequitur libertati contrarium, tum quia ad efficaciam efficientis diuinæ voluntatis spectat vt possit voluntatem nostram mouere prout voluerit; imo ait Aug. in *Enchirid. cap. 96.* hoc spectare ad omnipotentiam Dei: ergo potest Deus talem entitatem imprimere voluntati nostrae quae illam efficaciter determinet, ad vnum, & tam suauiter modo vt ipsam liberam relinquat, hoc est enim quod diuina prouidentia praedicat, quod attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.

Tum etiam quia necessitas, vel determinatio ex suppositione non repugnat libertati simpliciter: ergo licet voluntas sit determinata, per impressionem talis praemotionalis, illa necessitas solū erit consequentiae, & suppositionis, & non evertet libertatem: antecedens patet, nam iudi-

H H h cium

tium vltimum, & practicum intellectus determinat voluntatem, ita vt non possit hæc ab illo discordare, alias posset voluntas deficere sine errore vel defectu intellectus, & tamen tale iudicium relinquit illam libertatem simpliciter.

- 19 Item ex suppositione diuinæ scientiæ non potest voluntas aliter operari quam Deus præscierit, & tamen libere operatur. Item voluntas Christi ex suppositione vniõis hypostaticæ non potest peccare, & tamen libera est; ergo.

## SVBSECTIO II.

*Aliqua certa notantur.*

- 20 PRIMO aduertendum est esse potentiam liberam nihil aliud esse nisi potentiam, quæ positis omnibus ad agendum potest agere & non agere, hæc enim descriptio traditur à Nemefio lib. de natura hominis. cap. 35. dicente esse autem liberum si eisdem positis causis in nobis esset aliquando appetere, aliquando refugere, quam etiam definitionem approbat D. Thom. quæst. 24. de veritate art. 2. vbi sic ait in brutis est quædam similitudo liberi arbitrij in quantum possunt agere, vel non agere, vnum & idem secundum suum iudicium: sed quia eorum iudicium est determinatum ad vnum, per consequens eorum appetitus, & actio ad vnum determinatur. Item agens 1. 2. de libertate hominis, quæ necessaria est ad meritum, asserit esse indifferentiam ad operandum & non operandum, & lib. 6. contra gentes, cap. 3. idem docet, desumit etiam hæc definitio ex Aristotele 9. Met. cap. 3. alias text. 12. & duodecimo Metaph. cap. 6. & tertio de anima cap. 2.

- 21 Admittiturque ab vniuersa schola Theologorum, cuius sensus est vt de ratione liberæ potentiæ sit vt in potestate sua habeat tam actum suum exercere, quam continere vel suspendere, id vero non ex defectu alicuius conditionis requisitæ ad operandum; illa enim non esset potestas ad suspendendum actum, sed impotentia potius ad agendum tali conditione deficiente; vnde ille modus cessandi à propria actione agentibus etiam naturalibus communis est, ignis namque non calefacit si deficit aliqua conditio, vel requisitum ad calefaciendum, vt v. g. si deficiat passum, vel approximatio, sicut contingere potest in voluntate ipsa si esset à volendo ex defectu obieci, eo quod illud ignoretur, tunc enim carentia actus non erit ex potestate libera, seu dominio indifferentiæ, sed potius ex naturali defectu, est ergo de ratione liberæ potentiæ vt ex intrinseca vi, & potestate sua completa & sufficienti ad operandum possit, & actum suum exercere, & suspendere quando voluerit, & quia interna vis facultatis non excutetur nisi adhibitis omnibus requisitis ad agendum, ideo recte dicitur optimèque explicatur vis huius facultatis sufficientis, & complete in eo, quod positis omnibus requisitis ad agendum possit agere, & non agere, sed hæc prærequisita iure optimo explicantur de his conditionibus, quæ in actu primo requiruntur, seu quæ sunt aliquomodo causa actionis; non enim est actio ipsa; nam licet nemo agat sine actione, & ideo etiam actio dici possit requisita ad agendum, non tamen vt principium agendi, vel aliquid pertinens ad principium actio-

nis, sed potius vt ipsum formalissimum agere; quo formaliter constituitur potentia in esse agentis, & determinatur potius ad agendum quam ad non agendum, & ideo non est componenda actio cum potentia, ad hoc vt ipsa potentia dicatur indifferens, quia in hoc involuitur repugnantia, sed sumenda est potentia cum omnibus prærequisitis ex parte eius, seu per modum actus primi, & antecedentibus ipsam actionem.

## SVBSECTIO III.

*Prima conditio ad libertatem positur, & Pater Arriaga oppugnatur.*

PATER Arriaga disput. 6. de anima, num. 48. & ex professo disput. 8. à num. 4. docet, posse dari actum liberum voluntatis, quem nullo modo efficiat ipsa, dum modo recipiat illum solum passive se habendo per influxum causæ materialis, vel subiectivæ; verbi gratia si Deus poneret in me qualitatem amoris quam vocat actum elicium à Petro, dummodo mea potentia volitiva reciperet ipsum per verum concursum materiale, posset esse liber ille actus respectu mei, non minus, quam ille, quem nunc elicio.

Iam sine controuersia pro certissimo habetur, actum liberum, vt liberi rationem induat respectu alicuius debere non solum materialiter, & pure passive; sed etiam active, & efficienter elici ab ipso, respectu cuius liberum exercitium est. Itaque de ratione potentiæ formaliter liberæ est, vt quatenus talis sit potentia actiua: hæc conclusio est ita certa hac tempestate, vt oppositum ab aliquibus grauibus Doctoribus erroneum in fide, ab aliis temerarium ad minus iudicetur: ego autem, vt abstineam ab omni censura iudicium hoc remitto sapientibus, fideique iudicibus, contentus solum muneri meo satisfacere; quod in hoc situm, ac collocatum est, vt præsentem veritatem, quæ immediate opponitur Lutheri & Calvinii doctrinæ efficaciter quantum in me fuerit probem, atque confirmem, quia multa nostræ fidei mysteria ab ipsa sine dubio pendent: probatur.

PRIMO ex scriptura; Petrus enim Apostolus 2. epist. cap. 2. ita ait: [fatagite vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis, vbi S. Apostolus optimè explicat D. Augustinus, & Hieronymus, tradens doctrinam infallibilem, & certam de mediis necessariis ad beatitudinem consequendam; secundum prædestinationis decretum, & diuinæ vocationis beneficium ait, nulla alia esse talia media, præter bona opera; vbi pro contradictione necessaria in mediis ad beatitudinem petit duo, & rationem operationis & rationem bonæ operationis, vt patet ex illis verbis: [fatagite vt per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis.] Vnde D. Augustinus hæc verba profert; [non aliter certi sumus de itinere ad beatitudinem electis promissam, nisi dum bene operando in tempore exequimur id, quod sine tempore, quia ante omnia tempora]

## Quæst. II. In quo consist. actus liber Dei. 427

tempora, & secula decretum est à Concilio voluntatis diuinæ, ] quid clarius, & euidentius ad nostram veritatem confirmandam poterat excogitari; tunc sic, media infallibilia ad beatitudinem consequendam sunt bona opera, vt inquit Petrus, quæ bene operando facimus, vt explicat Augustinus; sed hæc media sunt actus liberi, quia sine libertate nihil meremur, aut demeremur; vnde D. Paulus Apostolus *epist. 1. ad Corinth. capite septimo*, docens medium, quo homines possint ad libertatem gloriæ, seu ad brauium beatitudinis, & coronam æternæ felicitatis per media congruentia se disponere; asserit exercitium liberæ voluntatis requiri, ibi [non habens necessitatem; sed potestatem habens suæ voluntatis.]

Ergo actus libertatis ex mente Petri, & explicatione Augustini in operando operatione, seu actione & non in sola passione, seu receptione consistit.

Clarius hoc exprimitur ab Ecclesiastico, *capite 31.* ibi, qui potuit facere mala, & non fecit; ecce libertatem manifeste explicat per potentiam faciendi, & non faciendi, cuius exercitium est facere, vel non facere: ergo qui dixerit, exercitium libertatis consistere in sola & pura passione sine actione & operatione, sine dubio immediate opponitur Scripturæ, quæ, vbiunque libertatem arbitrii declarat, verbis virtutis ad propriam potestatem agendi pertinentibus; & dum explanat exercitium illius, decernit esse per operationem, & actionem; vt patet clarissime ex locis nuper adductis; quibus consonat illud *Ecclesiast. 15.* [Ad quod volueris, porrigere manum tuam,] & illud; [quæ enim odit, ne feceris.] Item locus ille *Zachar. 4.* [conuertimini ad me,] per quæ verba, [libertatis nostræ admonemur,] vt Concilium Tridentinum explicuit; nemo autem se ipsum conuertit, nisi agendo, vt ipsum Concilium decernit, ac definit; Tandem simile est dictis illud *Apocalyp. 3.* [si quis aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum;] Verbum enim apertendi efficientiam includit; vnde his verbis Ioannes Euangelista videtur pulchra comparatione explicare locum Zachariæ; propheta enim *cap. illo 4.* ait: [conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.] Quæ propositio, vt docent Diuus Thomas, & D. Anselmus æquiualeat conditionali huic, si ad me conuertamini per contritionem, dolorem, & amorem, ad vos conuertar per gratiam habitualement; quapropter si huiusmodi actuum clauibus reueratis ianuam cordis, mihi que aditum parentem offeratis, introibo ad vos, vt animas vestras diuinis muneribus gratiæ adornem, atque impleam; quod idem est, ac dixit Ioannes, [si quis aperuerit mihi ianuam intrabo ad illum:] alia multa breuitatis causa relinquo, quæ passim in Scriptura occurrunt.

Secundo aperte, & manifeste probatur hæc veritas, ex Concilio Tridentino, *sess. 6. capite quinto*, vbi cum dixisset, homines vocari à deo per gratiam [vt eadem gratiæ libere assentiendo, & cooperando in ipsum Deum conuertantur,] explicat illam liberam cooperationem dicens: [ita vt tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem; neque homo ipse nihil omnino agat inspirationem illam recipiens, quippe qui & illam abijcere

I. P. Tom. II.

potest. Neque tamen sine gratia mouere se ad iustitiam coram illo libera sua voluntate possit.] Et ideo in *Canone 4.* damnat dicentes, [liberum arbitrium nihil cooperari, assentiendo Deo excitanti, aut nihil omnino agere, merereque passivè se habere;] atqui si homo non ageret, sed reciperet actum ab alio factum merere passivè se haberet: ergo hic dicendi modus est contra Concilium.

Respondet Pater Arriaga hoc, quod est passivè se habere, dupliciter sumi posse: primo, sine vilo prorsus vero concursu, vt se habet materia respectu anime rationalis, in quam nullo modo influit? Secundo per verum concursum, & influxum, qualem, verbi gratia, exhibet materia prima in formas materiales, & quodlibet subiectum in sua accidentia: ait ergo Pater Arriaga à Concilio damnari, qui dixerit, liberum hominis arbitrium passivè se habere primo modo non secundo; nam in secundo modo vere causa passiva influit, atque adeo sufficere hunc influxum ad rationem voluntarij, & liberi, & ne voluntas dicatur operari mortuo modo.

Sed contra est, quia hæc noua expositio, & distinctio sine vilo fundamento excogitata est à Patre Arriaga contra communem modum intelligendi Philosophorum, & Theologorum; atque adeo vel ex eo capite solum est reiicienda in re tam graui. Nam in primis passivè se habere respectu alicuius physice loquendo ex communi vsu huius vocis, idem est ac præbere concursum tantum passivum; in animam vero rationalem, sicut materia prima proprie loquendo nullum exhibet concursum positum, ita neque passivè se habet ad illam secundum substantiam, sed solum ratione vnionis, vel informationis, quæ dependet à materia. Deinde quia quidquid sit de anima rationali; negari nequit, materiam, & quodlibet aliud subiectum ad formas, quæ ex illo educuntur, merere passivè se habere; neque alius vniquam aliud somnauit: sed voluntas per se se potest habere in actu libero, sicut materia ad formas, & vt lignum ad calorem: ergo se habebit merere passivè, quod est contra Concilium. Præterea quia Concilium loquitur iuxta subiectam materiam, & excludit concursum merere passivum, qui voluntati tribui potest, non illum, cuius voluntas non est capax, & de quo non agitur, vt verbi gratia, si ego dicam, animam respectu potentiarum non merere passivè se habere, quis intelligit aliud, nisi animam, præter verum concursum passivum, habere etiam alium concursum actiuum, neque cuiquam venit in mentem, me excludere concursum passivum vel passionem similem illi, quam corpus exercet circa substantiam anime rationalis: sed illum, qui opponitur concursui merere actiuo: ergo similiter cum Concilium excludat concursum merere passivum voluntatis, tantum illum excludit, qui opponitur concursui actiuo, & quem voluntas potest habere, & habet circa motionem diuinam, scilicet per verum influxum subiectiuum.

Confirmatur primo hæc propositio, [voluntas non se habet merere passivè, sed præterea agit,] quæ expresse habetur in Concilio, est similis, & eiusdem rationis cum hac: anima respectu

suarum potentiarum non se habet mere passive, sed præterea agit: sed in communi sensu & acceptione Philosophorum in hac secunda propositione intelligimus per passionem veram causalitatem causæ materialis, & per actionem causalitatem efficientis: ergo similiter in prima, sed Concilium dicit voluntatem non se habere mere passive, sed agere: ergo utrumque intelligendum est iuxta proprietatem scholæ, & communem usurpationem.

Confirmatur secundo & clarius, quia Concilium non omnino excludit concursum passivum voluntatis; sed tantum ait, voluntatem non se habere mere passive, quod idem valet, ac si diceret, non se habere tantum passive, sed etiam alio modo; ut cum dico, homo non est mere animal; sensus est non est tantum animal; sed aliud præterea, scilicet rationale; sed voluntas in suo actu non se habet mere, & tantum passive: ergo aliquid aliud habet, præter pati scilicet agere, quia hi ter nini mutuo se respiciunt, & excludunt; unde sicut cum ego dico, Deus respectu effectus creati se habet mere active, significat nullo modo recipere illum, sic cum dico voluntas, vel alia causa non se habet mere passive respectu effectus, significat, præter veram passionem habere veram actionem circa illum.

Secundo impugnatur P. Arriaga ratione deducta ex inconvenientibus, quæ ex illius sententia manifeste sequuntur: nam primo sequitur, posse Deum v.g. me nihil agente, sed concurrente passivo adducere ex mea voluntate actum vel qualitatem amoris, qui tamen liber sit; quod necessario concedet P. Arriaga, nam in illo casu erit aliquis concursus voluntatis; atqui hoc pugnat cum communi Theologorum, & fere cum ratione naturali; nam actus liber, ut talis debet esse in potestate mea aliquomodo, sed iste actus nec est in potestate mea quoad actionem; quia voluntas divina, ad quam actio pertinet, non mihi subordinatur: neque etiam quoad receptionem; quia supposita voluntate Dei operandi talem actum in me; ego nequeo resistere illi, neque non recipere talem qualitatem; quia Deus in suis creaturis, & dependenter ab illis ut à subiectis potest producere quaslibet formas, quæ non implicant contradictionem: ergo non est unde ille actus sit in mea potestate: ergo neque potest esse liber.

Dices, esse liberum quia vere anima, & voluntas influit per verum concursum.

Sed contra, quia iuxta hunc dicendi modum etiam productio gratiæ & habituum super naturalium voluntatis erit libera in se ipsa immediate, & procedens à libertate humana, quod nullus dixit cum in pueris dentur hi habitus infusi sine libertate. Patet consequentia; quia per te ad libertatem sufficit verus concursus voluntatis etiam in genere materialis causæ, sed hic concursus intervenit etiam, cum producitur gratia, & habitus charitatis, quæ cum sint accidentia, non fiunt nisi cum influxu physico voluntatis ut subiecti: ergo.

Secundo sequitur Deum non posse neque de absoluta potentia ponere in me aliquam qualitatem volitivam, vel actum voluntatis circa obiectum indifferenter propositum, quin ille actus sit liber; eo ipso quod vere dependeat à voluntate, ut à vera causa subiectiva, ut patet, quod tamen est contra communem, & certam doctrinam præcipue nostræ societatis, asserentem, quod si Deus vellet necessitatem inferre potentie meæ li-

beræ, etiam circa obiectum indifferenter propositum, non alio modo id efficere, quam producendo aliquam qualitatem in mea voluntate, quæ licet dependeret ab ea, ut à subiecto, nihilominus non esset absolute in potestate voluntatis.

Tertio denique sequitur ipsam physicam prædeterminationem, quam impugnamus in Thom. non tollere libertatem; neque enim Thomistæ ponunt illam sine concursu passivo vero ipsius voluntatis, eo ipso quod talis prædeterminatio sit qualitas, vel modus; unde vltimus vix remanet nobis aliquod principium stabile iuxta doctrinam Societatis & modum tuendi libertatem humanam, ut consideranti patet.

Adde si semel ponatur voluntatem posse absolute velle formaliter sine actione non esse ullam rationem, quæ probetur, nihil esse volitum, quin sit præcognitum, hoc est ante omnem actum voluntatis præcedere actum intellectus, ut ipsi aduersarii volunt; nam ideo ponitur actus intellectus, ut determinet principium volitivum, sed cognitione existente in solo principio elicitive actionis volitivæ, quod iuxta istam sententiam potest esse Deus, vel aliud suppositum sufficienter determinatur actus voluntatis præsuppositus ut manifeste patet: ergo cum nihil sit, quod urgeat ad tot inconvenientia, non est cur recedamus à communi opinandi modo propter solum pruritus innovandi, atque adeo fatendum est, actum voluntatis vitalem præcipue liberum necessario includere actionem.

Deinde urgetur ex ponderationibus, quas fecimus disput. 20. de anima, q. 1. sect. 2. a num. 7. usque ad 15. circa locum nuper adductum Concilij Tridentini sess. 6. de iustification. Canon. 4.

Tertio sic probatur auctoritate Sanctorum; D. enim Augustinus lib. 1. retr. actionum cap. 1. recognoscens verba, quæ in quest. 1. lib. 1. ad Simplic. posuerat: [quamvis sit in cuiusque potestate quid possit,] ait ideo illa dixisse [quia non dicimus esse in potestate nostra, nisi quod cum volumus, sit, ubi primum, & maximum est ipsum velle sine vilo quippe intervallo temporis; præsto est voluntas ipsa, cum volumus.] Unde etiam lib. 83. questio. quest. 8. inquit, [moveri per se animam sentit, qui sentit in se esse voluntatem, nam si volumus, non alius de nobis vult; & iste motus animæ spontaneus est;] quibus Verbis trifariam demonstrat D. Augustinus contra adversarios, actum liberum voluntatis necessario includere actionem, prima demonstratio continetur illis verbis, [moveri per se animam sentit] &c. quæ demonstratio sumit pro medio definitionem actus vitalis, vivere enim est à se, & per se moveri: sed actus liber, inquit Augustinus, est vivere: ergo est motus à se & per se; sed motus à se, & per se includit essentialiter actionem, nihil enim potest à se ipso moveri quin motum in seipso producat; nam si passive solum se habeat respectu motus, non movebitur à se, sed ab alio: ergo actus voluntatis liber dicit essentialiter operationem. Ecce prima demonstratio Cherbici Doctoris. Secunda demonstratio continetur illis verbis; [nam si volumus, non alius de nobis vult] quæ sic efformatur quia quando aliquis libere se exercet volendo, ipse est qui vult, & non alius pro ipso, sed si ipse non produceret suum amorem, non veller ipse: ergo dum vult producit amorem, & operatur active illum; tertia demonstratio continetur in illis verbis, [ & ille motus

## Quaest. II. In quo consist. actus liber Dei. 429

motus animae spontaneus est; formatur enim sic à D. Thoma, quia actus voluntatis liber est essentialiter voluntarius; & spontaneus; sed omne voluntarium eo modo quo voluntarium, & spontaneum est, ut patet ex definitione illius, quam amplectitur tota schola tam Theologica, quam Philosophica; quod est à principio intrinseco cum cognitione; id est à principio intrinseco se reducens ad actum primo, vel quasi primo ad actum secundum per formalitatem intrinsecam existentem in ipso Principio se reducens: ergo actus liber voluntatis includit essentialiter actionem.

Videatur à nobis dicta disput. 20. de anima supra citata de natura, & essentia intellectus; quaest. 1. Verum intellectus formaliter consistat in actione: per totam, ubi late de hoc negotio agitur; & omnia ibi allata facili negotio possunt accommodari praesenti negotio; videatur praeterea disputatio prima de anima, & in ea quaestio. 6. Vtrum aliquod intellectuale vinei possit, passivum tantum se habendo, ubi data opera de hoc eodem negotio agitur in tota illa quaestione.

Idem docet ipse Augustinus lib. 12. de civitate cap. 6. & 7. ubi agens de causa actus mali dicit ad voluntatem ipsam reduci; tanquam ad causam efficientem, & deficientem; idemque docet lib. 1. de libero arbitrio à capite 12. & lib. 3. cap. 1. & 2. additque cap. 3. illud esse in potestate nostra, quod cum volumus, facimus; quapropter nihil tam in nostra potestate, quam ipsa voluntas est. Quod repetit, & confirmat lib. 1. retractationum cap. 9. & 22. ex quibus verbis hanc rationem conficio; nam potentia libera ut inquit D. Augustinus est, quae in manu, & potestate sua habet mutari vel non mutari, operari vel non operari nam hoc est esse dominam sui actus, vel mutationis, in quo dominio libertas consistit, haec autem potestas, seu dominium non consistit in potentia passiva, non enim dicitur aliquid esse in potestate nostra propter potentiam passivam solam, sed propter activam quam ipsum nomen potestatis significat, praecipue quando agitur de potestate, cui imputatur ad praemium, vel ad poenam actus secundus, seu exercitium, eodem, quo imputatur libertati actus liber qui minime imputaretur ad malum, vel ad bonum, nisi ipsa voluntas produceret, & faceret talem actum, ut evidenter docuit ipse D. Augustinus lib. 8. quaestio. quaestione 24. his verbis: nec peccatum, nec recte factum imputari cuiquam iuste potest, qui nihil fecerit propria voluntate; & hoc modo ait, utrumque esse in libero voluntatis arbitrio: ergo oportet, ut sit in potentia activa quatenus activa est: ergo actus liber formalissime dicit exercitium potentiae activae, quatenus activae: ergo est actio, ut actio, seu includit actionem. Minor probatur, quia non est in potestate, ac dominio patientis, ut tale est, quod patitur, nec ne, hoc enim pendet ab agente, quia patiens ideo patitur, quia agens in illud agit, actio enim infert passionem & ordine naturae, vel rationis illam praecedat, & ideo talis est passio, qualis est actio, & non e converso, loquendo causaliter, & à priori: ergo actio non est in potestate patientis, ut patiens est, id est in dominio eius; sed agentis, quod expressis verbis docuit ipse Augustinus, lib. 3. de libero arbitrio, cap. 2. ibi: illud esse in potestate nostra quod volumus, facimus, & lib. 1. retractationum. cap. 1. quia non dicimus esse in potestate nostra, nisi quod cum volumus facimus, & quod cum ap-

petimus, fit; ubi primum, & maximum est ipsum velle.

Quid clarius, & evidentius: ergo libertas solum est in potentia activa ut activa est, & liber actus in actione ut actione, & non solum pure in Passione, quia alias liber actus non esset in dominio, & potestate illius, qui libere vult; nam actio non est in dominio patientis, ut dixi, sed agentis, quia prius non est in potestate posterioris sicut praecipuum non est in potestate subditi, sed superioris: ergo etiam passio non est in potestate patientis, ut tale est, sed in potestate agentis, quia posita actione, necessario sequitur Passio, & ideo eareus tantum potest Passio esse aut denominari libera in quantum actio fuerit libera: ergo utrumque est in potestate, & dominio agentis: ergo libertas principaliter est in potentia activa ut activa est, & in actione, quapropter licet voluntas sit receptiva sui actus, & sub ea ratione sit potentia passiva, non est tamen principaliter libera nisi quatenus potestatem habet eliciendi, & non eliciendi actum suum; & in tantum receptio eius potest esse libera ipsi voluntati in quantum efficere est illi liberum; si enim ab alio agente reciperet actum, ipsa nihil efficiente ex parte sua necessario illum reciperet; quod si esset in potestate alterius agentis non immittere in voluntatem talem actum alteri agenti esset liber ille effectus, non ipsi voluntati.

Dices: passum interdum determinat actionem agentis, vel ad illam confert, vel illam impedit: ergo eadem ratione potest ex parte potentiae passivae pronenire, ut agens illam immutet: ergo etiam poterit libertas esse in potentia passiva ut passiva est; antecedens patet in causa superiori, & univ ersali necessario agente, determinatur enim ad hanc vel illam actionem ex parte passi ut patet in sole exsiccante lutum, & liquefaciente ceram. Item in causis particularibus actio est maior, vel minor iuxta dispositionem passi, & interdum omnino impeditur propter resistantiam eius. Ac denique in moralibus, & supernaturalibus, quando Deus infundit habitum voluntati, ipsa voluntas mere passive se habet, & nihilominus receptio est illi libera; quia ex eius pendet dispositione.

Respondeo negando secundam consequentiam, quia passum ut tale est, si sit omnino idem non potest determinare actionem agentis, nec magis iuvare, vel impedire actionem unius agentis, quam alterius; si vero sit diversum, seu diverso modo dispositum, tunc determinatio, resistantia, vel similis effectus erit omnino necessarius, aut si participet aliquam indifferentiam necessario pendebit aliquomodo ex potentia activa libera. Declaratur: nam si agens sit naturale, & potens ad plures effectus efficiendos propter univ ersalem virtutem, non potest circa idem passum eodem modo dispositum ad certum effectum determinari, nisi passum illius tantum sit capax, nam si passum sit de se indifferens ad plures, non est cur ab illo determinetur tale agens ad unam actionem potius, quam ad aliam, si autem passum sit capax unius tantum effectus, tunc determinabit quidem actionem agentis, determinatio autem erit omnino naturalis, seu necessaria, ut per se constat, & eodem modo si passum sit diverso modo dispositum, determinat quidem actionem talis agentis, necessitate tamen naturali, ut patet in

illo exemplo de sole liquefaciente geram, vel exsiccante luum; vtrumque enim facit necessitate naturali; & ratio est quia ex parte recipientis ut sic non provenit determinatio actionis, nisi propter incapacitatem naturalem, vel limitationem capacitatis ab aliqua dispositione proveniente, & ideo si limitatio illa, vel dispositio naturalis sit, etiam determinatio est necessaria; nec potest ex parte passi esse libera; idemque est de resistentia, vel impedimento aut carentia illius proveniente ex naturali dispositione recipientis, intercedit enim eadem ratio; at vero si agens sit liberum, tunc potest determinare suam actionem & consequenter etiam passionem circa idem passum de se indifferens, & capax plurium actionum, & tunc quidem determinatio libera est; provenit autem ab eminentia potentie activae & dominio, quod habet in suam actionem; nec potest aliunde provenire. Interdum etiam passio aliqua, seu receptio potest pendere ex dispositione libera passi; & tunc licet receptio proxime non possit esse libera ipsi recipienti, quia ab illo non fit, remote potest denominari libera, quatenus ab eius libera dispositione pender; illa autem libertas in eo posita est, quod effectio talis dispositionis est libera; & ita semper manet ex potentia activa, in qua residet, & hoc modo receptio primae gratiae sanctificantis potest dici homini libera remote in quantum efficere contritionem est homini liberum, & in naturalibus potest dici esse homini liberum calefieri à sole in quantum libere potest ad solem accedere, vel ab illo recedere; propria ergo libertas in potentia activa consistit, ac per consequens propriae libertatis actus consistit in actione, quatenus actio est; licet etiam quia actus virtualis est, minus tamen principaliter includat passionem; quia cum actus vitalis ex sui natura sit immanens, petit necessario actionem, & passionem, & ideo necessario vtrumque petit, praecipue actionem.

Deces, tamen voluntas non fit libera agendo, poterit tamen esse libera resistendo, saepe enim aliqua non possunt quidem agere ipsa in se, sed possunt resistendo impedire actionem aliorum.

Respondet, si voluntas sit potentia passiva non posse illam resistendo impedire actionem alterius, illa enim resistendo impediunt, quae habent contrariam qualitatem; voluntas autem non habet contrariam qualitatem, cum sit indifferens ad contraria. Itaque non habet unde resistat, si ex natura sua solum est apta pati, quod si potentia sit activa, & ab obiecto moveatur, tanquam à fine, non tanquam ab agente, tum vere resistere poterit, ut re ipsa etiam saepe resistit, cum variae rationes in eodem obiecto, vel varia obiecta illi demonstrantur.

Ade quod libertas voluntatis non in eo solum posita est, quod possit resistendo prohibere, ne obiectum agat amovendo obiectum ipsum, sed etiam in eo, quod praesente obiecto, & agente, quod suum est, voluntas possit libere consentire, vel dissentire ut perspicuum est ex illo exemplo, quod S. Augustinus proponit in libro 12. de civitate Dei, cap. 6. v.g. si duo sint aequae affecti animo & corpore, & occurrant eidem rei, quae sua pulchritudine allicere possit affectum, & eadem Diaboli tentatione uterque tentetur; & tamen unus tentationi consentiat, alter non consentiat, non potest reddi alia causa, nisi quia unus vult, alter non vult: at si voluntas solum pateretur, & non operaretur, aut ageret, non consentiret, aut dissenteret: ergo agit ex D. Augustino quando

libere movetur; quod etiam expresse docuit Damascenus lib. 2. de fide, cap. 25. ideo hominem esse liberi arbitrij, quia in sua potestate habet eas actiones, quas libere operari dicitur; & ideo omnem deliberationem actionis causa suscipi] & addit in cap. 26. [in nostra potestate sunt ea quae liberum nobis est facere, vel non facere,] idem sumitur ex Anselmo libro de conceptu Virginis, cap. 6. Bernard. lib. de gratia, & libero arbitrio ex Nizeno libro 9. philosophia.

Ultimo omnes Thomistae cum D. Thoma 1. p. q. 82. art. 4. & quest. 8. in corpore; item 1. 1. quest. 9. art. 1. 3. & 9. 2. 2. de verit. art. 9. in corpore, & ad primum. & q. 24. art. 4. in corpore, & omnes Scotistae cum Scoto in 2. dist. 25. in argumentis ad oppositum; & in toto discursu questionis, Durandus dist. 24. q. 2. num. 10. 19. & 34. & omnes Doctores Societatis Iesu; ut videre est in Patre Suarez tom. 1. de gratia prolegomeno 1. cap. 2. Bellarmino lib. 3. de libero arbitrio.

Secundum requisitum: ad libertatem est habere indifferenciam per eminentiam quandam dominatam excellentissimi cuiusdam dominij ad operandum opposita, seu ad operandum, & non operandum; quae indifferencia duplex est, prima quoad exercitium, secunda quoad specificationem; prima consistit in hoc, quod possit voluntas se exercere circa contradictoria, operandum, vel non operandum; secunda est, ut possit se exercere circa speciem distinctos actus vel fines; & ideo vocatur quoad specificationem.

Probat primo de indifferencia quoad specificationem ex dictis, quia libertas est propria & immediata proprietates potentiae activae ut activa est: ergo si talis indifferencia sit respectu plurium actuum, necesse est ut in tali facultate sit vis effectrix omnium illorum actuum; nam si tali virtute careat, ad alium illorum efficiendum respectu illius, non erit libera cum respectu illius non sit activa.

Non sufficit autem ad libertatem circa tales actus, vis superior, & quasi universalis effectrix plurium actionum, vel effectuum, quia in agente naturali potest similis virtus inveniri, ut in sole videre licet, cuius virtus per universalitatem, quandam indifferens est ad plures effectus & actiones; ergo ad indifferenciam libertatis vitra illam quasi universalem vim actum necessarium est, ut illa sit coniuncta cum quadam eminentia, ratione cuius potest inter ipsas actiones eligere, aut se ad hanc potius, quam ad illam fidere, quia ipsa vult à se ipsa sine eo quod ad hoc ab alio determinetur, propter quod merito dixit Divus Thomas in 2. dist. 28. q. 1. art. 1. hominem non fore liberi arbitrij, nisi ad eum determinatio sui operis pertineret, & Damascenus lib. 2. de fide, cap. 25. ideo hominem esse liberi arbitrij, quia in sua potestate habet eas actiones, quas libere operari dicitur, & ideo omnem deliberationem actionis causa suscipi, & addit in cap. 26. in nostra potestate sunt ea quae liberum nobis est facere, vel non facere, & August. lib. 3. de libero arbitrio, cap. 1. 2. & 3. sic ait illud esse in potestate nostra, & dominio quod cum volumus fecimus, quapropter nihil tam in nostro dominio, & potestate quam ipsa voluntas est, quod repetit, & confirmat lib. 1. retractationum, cap. 9. & 22. unde cap. 1. recognoscens verba, quae in q. 1. lib. 2. ad Simplicium ponerat, quamvis sit in cuiuslibet potestate, quod possit, ait ideo illa dixisse, quia potestate esse in potestate nostra, nisi quod non volumus sit, ubi primum, & maximum est ipsum

## Quaest. vlt. De concursu Dei cum creaturis. 43 i

ipsum velle sine illo quippe intervallo temporis praesto est voluntas ipsa cum volumus, quod etiam confirmant loca omnia, quae in primo requisito adduximus.

30 Nam ab omnibus indifferentia haec per modum habitus dominij declaratur, & ideo ait D. Thomas *prima secunda, quaestione prima, articulo primo*, liberam arbitrium esse facultatem voluntatis, & rationis per quam homo est dominus suorum actuum, quid clarius? & ratio evidens est, nam si quæram a te cur sol non habeat libertatem quoad speciem, cum certum sit habere universalem quoad operationes effectus oppositos, verbi gratia, ad producendum frigiditatem, & producendum calorem, & ad liquefaciendum, &c. innumera effecta, sine dubio, si rationabiliter respondeas dicendum tibi erit ideo nulla gaudere libertate, solem, quia non habet indifferentiam cum domino ad suas operationes; itavt illas operetur habendo illas in sua potestate, quia vult hanc potius quam illam, etiam si sit sufficiens, & completus ad operandum utrumque effectum, sine eo quod ad hoc potius effectum quam alium ab alio determinetur: ergo libertas hominis in hoc consistit, quod sit indifferentia, quædam ad oppositos actus, cum dominio circa illos; itavt operetur hunc potius quam illum, non quia determinetur ab aliquo extrinseco agente, ad hunc potius effectum, quam ad illum, sed quia ipsa voluntas adhuc existens completa, & sufficiens ad utrumque actum, solum, quia vult ipsa sine eo quod ab alio cogatur, vel determinetur, producit hunc effectum potius quam illum.

31 Secundo probatur de indifferentia, quoad exercitium, quia imprimis ad illam necessaria est potentia activa, hoc enim satis aperte demonstratum manet in primo requisito, & per se evidens est, quia nisi supponatur vis agendi in tali facultate semper carebit actione, quia actio esse non potest nisi ab habente vim agendi, eritque illa carentia non per modum privationis, sed per modum simplicis negationis, sicut potest esse in qualibet re inepta ad agendum.

32 Deinde probatur de potentia ad non agendum, quia si potentia careat actione ex aliqua impotentia agendi, tunc non est libertas in carentia actionis: sed necessitas ut videtur est in lapide, in quo datur carentia videndi non ex potentia videndi, sed potius ex impotentia videndi, & sic illa carentia est ex necessitate, & non ex libertate, quia impotentia dicit impossibilitatem, & impossibilitas agendi æquivalere necessitati non agendi: ergo ut carentia actionis libera esse possit, supponit in ipsa facultate talem potentiam agendi, quæ vi sua possit non agere non ex impotentia, sed ex eminentia virtutis, quam recte vocarunt Theologi dominium actus; carere enim actione ex impotentia, non est dominium, cum de ratione dominij sit potestas faciendi & non faciendi: ergo ut potentia sit vere domina sui actus quoad exercitium eius, oportet ut non ex impotentia, sed ex interna, & eminente potestate actionem possit suspendere, & ob hanc causam non potest talis indifferentia inveniiri immediate in potentia passiva ut passiva est respectu passionis, quia licet possit interdum pati, & interdum non pati in utroque pender ab agente; unde si adsit agens necessarius paritur vel absolute, si agens sit naturale, vel ex suppositione actionis, si agens sit liberum, & velit, si vero agens absit vel cohibeat actionem, tunc etiam non libere, sed necessario

non patitur ex quadam impotentia; quia ut passiva est non potest se ad actum reducere.

33 Tertium requisitum ad libertatem proximam, & absolutam arbitrij est ut virtus facultatis in ordine causæ proximæ habeat completam vim activam, & dominativam illorum actuum, id est omnia sufficientia principia in actu primo, quæ sufficientem & completam reddunt potentiam activam ad effectus, ad quos dicitur simpliciter, & proxime libera: hæc assertio sequitur ex præcedentibus, & probatur; quia alias si facultas ipsa, seu voluntas haberet vim agendi, tantum dimidiatam, & incompletam non posset simpliciter velle aut nolle: ergo simpliciter non habebit in sua potestate actum suum actum: ergo nec habebit dominium eius, neque proximam, & absolutam libertatem.

Declaratur, quia si proposito sufficienter obiecto voluntas non habeat sufficientem vim activam ad volendum, & nolendum tale obiectum, sed tantum partialem, seu inchoatam erit impotentia passiva ad recipiendum complementum potestatis activæ: ergo ex ea parte, quæ est impotentia receptiva talis complementi virtutis activæ, non est libera, quia non habet illud complementum in sua potestate activa, sed in receptiva: ergo etiam non est proxime libera ad ipsum effectum, seu actum secundum, donec in sua virtute agendi compleatur; unde est attente considerandum quod licet potentia libera etiam supposita integra libertate possit, ut dixi, esse passiva; hæc potentialitas potest supponere in eadem facultate, integram vim activam, nihilominus non potest esse integrè libera si sit in sola potentia passiva ad totam, vel aliquam partem virtutis activæ suorum actuum, quia sine integra virtute activa nondum habet actum in manu sua.

34 Ultimum requisitum est, ut detur immunitas à necessitate operandi in ea potentia quæ est formaliter libera, tam in statu remoto, quam in statu proximo, quod quidem in statu remoto per se notum est; nam ideo, qui dormit, vel non considerat, liber nihilominus est, quia voluntatem retinet, quæ de se est facultas potens operari sine necessitate, si enim talem potentiam vel illam proprietatem eius amitteret, iam nullo modo posset habere libertatem, imò interdum non videtur esse satis solam potentiam retinere; nam puer ante usum rationis, vel ament non dicitur habere libertatem, etiam si potentiam de se liberam habeat, quia est intrinsecè impotens, & indispositus, ad multa præcisè, & necessaria ad usum libertatis, qui autem est intrinsecè aptus ad usum libertatis non tamen ex parte voluntatis, sed etiam ex parte aliarum potentialitatum, & intrinsecè dispositione organorum, licet actus sit impeditus; verbi gratia, per somnum minus remotam facultatem habet utendi libertate, & ideo communi usu liber vocatur, quia & facultatem habet de se indifferentem ad agendum & non agendum, & intrinsecè impeditus non est ad usum illius, licet quoad cætera requisita adhuc illa libertas remota sit.

35 Altera pars de libertate proxima in actu primo, & quasi immediato est difficilior, sed tamen verissima, quæ sic probatur, quia illa etiam est potestas vere libera: ergo in illo etiam statu retinere debet indifferentiam activam in operando, quia hæc est de intrinseca ratione libertatis vere ostensum est.

Deinde, quia alias nunquam potentia libera in actu primo remoto esset proxime libera ad agendum.

dum vel non agendum, quod est contra omnem rationem potentia actiua, & plane contra vsum libertatis. Paret sequela, quia potentia per se, ac formaliter libera in se non vtitur nec valet vti sua libertate, & indifferentia, nisi proximè disposita ex parte sua, & ex parte intellectus, & obiecti & ex omni alia parte necessaria ad opus: ergo si postquam est proximè disposita, iam non manet cum plena indifferentia, profecto nunquam in se ipsa libere operatur, nec vtitur innata libertate.

36 Deinde probatur, quia libertas formalis & quasi essent alis voluntatis duplicem potestatem inadæquatam seu ratione distinctam includit circa idem obiectum eodem modo hic & nunc propositum, una est potestas volendi, alia est potestas non volendi seu nolendi illud quod potest velle; si ergo voluntas iam expedita, & proximè disposita ad operandum circa tale obiectum, non est indifferens ad vtramque partem illius potestatis, sicut erat per se precise ac remote & nude expectata: ergo ad vnam partem illarum manebit proximè, & simpliciter potens; ad alteram vero non nisi remote ac subinde proximè impotens: ergo de facto voluntas tunc non operatur tanquam domina vtriusque potestatis, sed perinde se habet ac si alteram tantum potestatem haberet, ac proinde non libere operatur.

37 Ut declaremus & probemus consequentiam, constituamus, & consideremus voluntatem dicto modo proximè dispositam, ac præparatam, seu applicatam ad primum vsum libertatis suæ prius natura quam libertate vtatur: aut ergo etiam tunc retinet indifferentiam ad vtramque partem, & hoc est, quod intendimus, aut alteram tantum potestatem exercere potest v. g. volendi, & tunc profecto sequitur ut sit hic, & nunc simpliciter, & proximè impotens ad nolendum, quia ut possit nolle, deberet aliter præparari seu disponi, quod iam non est in potestate illius, nec antea fuit, quia nondum via fuerat libertate sua ut supponitur: ergo illa libertas remota nunquam ad vsum applicatur.

38 Ex quibus concluditur necessario esse contra rationem liberæ facultatis ut ad agendum requiratur aliquam conditionem præuiam ad actionem, qua posita tollatur vel impediatur hæc immunitas, seu differentia ad agendum, & non agendum, quia cum libertas formaliter sit posita in indifferentia; si hæc tollitur, vel impeditur ante actionem, iam actio non procedit à potentia indifferente & expedita ad agendum secundum vtramque partem suæ indifferentiæ: ergo si talis potentia huiusmodi conditionem requireret ad agendum tunc, vel illa in se non esset indifferens & ita non esset libera etiam in actu primo, & remoto, vel ad agendum postulare conditionem repugnantem suæ indifferentiæ: ergo si talis potentia huiusmodi conditionem requireret ad agendum; tunc vel ipsa in se non esset indifferens, & ita non esset libera, etiam in actu primo, & remoto, vel ad agendum postulare conditionem repugnantem suæ indifferentiæ suæque libertati & connaturali operandi modo, quod plane repugnat, & in hunc modum id ipsum ultèrius declaratur, nam vel illa conditio præuia ad actionem, qui posita tollitur indifferentia quatenus iam cum illa non potest voluntas agere, & non agere sed tantum agere, aut tantummodo non agere; vel inquam illa conditio ab alio agente extrinseco adhibenda est, vel ab ipsa voluntate: si ab alio sequitur aperte voluntatem non esse indifferentem actiue, sed passiue tantum,

scilicet ut hanc, vel illam conditionem ab alio recipiat, qua posita semper est determinata ad vnum agendum, seu non agendum; si vero conditio illa ab ipsa voluntate adhibenda est, aut libere eam adhibebit, aut necessario; si necessario etiam petit indifferentiam; tum quia ex necessaria connexion sit determinatio voluntatis ad vnum; tum etiam quia ut illa connexio ex necessitate adhibeatur à voluntate, necesse est ut sub ea ratione ad vnum determinata supponatur; si tamen illa conditio adhibeatur, libere iam supponitur actus liber & de requisitis ad illam redibit eadem questio, an positis illis omnibus integra maneat indifferentia facultatis; nam si non manet perit libertas, si autem manet ibi est proprie libertas, & reliqua, quæ inde manant; si necessario manent, sunt libera solum per denominationem & dependentiam ab illo primo actu; igitur fieri non potest, ut libera facultas natura sua requiratur conditionem præuiam ad omnem vsum suorum actuum quæ tollat, vel impediat indifferentiam eius.

Nunc autem intelligitur ex dictis, quo modo 39 supradicta descriptio ad actum liberum seu actum liberam negationem actus, seu omissionem illius, siue pura sit, siue non pura, siue in nolendo, siue solum in non volendo, cum humana aduertentia consistat, ea vero requiritur ad agendum eodem modo, quo de facultate ipsa libera diximus. Hæc autem omnia sumenda sunt scilicet prout sunt conditiones ad operandum prærequiritæ, quæ in actum aliquomodo influunt, quia si ex aliqua conditione præueniente actum impediretur voluntas ab alterius potestatis vso, siue dubio ex necessitate & non libere tali vso caret, & ex consequenti absque libertate, & ex necessitate haberet vsum alterius potestatis, quia ablati vno vso necessario, alius consequitur, cum non possit vtroque simul, eo quod immediatam oppositionem includat.

#### SVBSECTIO IV.

Secundum notabile ponitur.

Secundo aduertendum est dari duplicem necessitatem, ut ait sanctus Anselmus lib. de concordia, cap. 1. & 2. & lib. 2. Cur Deus homo, cap. 18. vnam quam ipse Anselmus vocat præcedentem, & est, quæ facit rem esse alteram subsequenter quam facit ipsemet operans, & priorem dicit repugnare libertati, non tamen posteriorem, similique modo distingui potest duplex sensus compositus, vnus, qui fit ex suppositione præueniente vso libertatis, qui absolute antecedens dicitur, alius, qui ex subsequente, quando autem necessitas est in sensu composito priori modo per talem sensum compositum non saluatur, sed potius destruitur libertas, quia illa suppositio omnino antecedens est & inducit necessitatem simpliciter, ac proinde libertati contrariam iuxta doctrinam eiusdem Anselmi. Quando vero suppositio est consequens, tunc

tunc optime accommodatur distinctio sensus compositi & diuisi, quia necessitas in tali sensu composito non repugnat libertati iuxta eandem doctrinam.

42 Idemque dicendum est de alia duplici necessitate consequentiae videlicet, & consequentis, quae sumitur ex D. Thom. 1. p. q. 14. art. 13. & q. 19. art. 8. in solutionibus argumentorum, & q. 22. art. 4. tandem q. 23. art. 1. ad 3. nam posterior necessitas dicitur contraria libertati, quia est absoluta necessitas rei, prior vero dicitur non tollere libertatem quia non est absoluta necessitas, seu indefinite accipiendum est ut sit verum; unde aliqua necessitas consequentis repugnat libertati qualis est haec, homo videt Deum: ergo amat illum, quare sensus illius membri est necessitatem consequentiae, non semper repugnare libertati, vel solum necessitatem consequentiae non sufficere ad destruendam libertatem, nisi adiungatur necessitas consequentis, & ideo membrum illud subdistingendum est iuxta distinctionem Anselmi, nam si consequentia sit necessaria ex suppositione antecedenti repugnat libertati; si vero sit ex suppositione consequenti non erit libertati contraria.

43 Totum enim hoc negotium eo tendit, huncque scopum collimat, ac tandem eo reuoluitur ut intelligamus, quae suppositio antecedens dicenda sit, quae omnino tollit libertatem inducendo necessitatem simpliciter, quae vero consequens, unde hic est cardo totius difficultatis; unde hoc opus hic labor est, quod negotium sic explicatur.

44 Suppositio inducens necessitatem in sensu composito, si talis sit ut per usum libertatis fiat, vel talem usum liberum involuat, seu comitem habeat inducit tantum necessitatem consequentiae, & secundum quid, & ideo non pugnat cum libertate; si vero talis sit suppositio, ut omnino anteuertat usum libertatis, & necessitatem operandi in voluntatem inducat ex tali suppositione, & in sensu composito talis suppositionis tollitur libertas, ita ut impossibile sit componi simul in voluntate talem suppositionem, cum carentia actus, exempla prioris sunt haec.

45 Nam suppositio praescientiae, praedestinationis, & praedestinationis diuinae infallibiliter inferunt effectum liberum praesentium praedestinatum, aut praedestinatum, ita ut impossibile sit, effectum sic praedestinatum non euenire, & tamen illa suppositio non obstat, quominus actus praescitus libere fiat. Imo ex illa suppositione aequae infertur libere futurum esse effectum, ac futurum esse quia non solum praescitur ac praedestinator ut fiat, sed etiam ut libere fiat, ideoque ad veritatem scientiae & efficaciam praedestinationis, non minus necessarium est ut libere fiat quam ut fiat, quae est doctrina Anselmi lib. de concordia, cap. 1. & 2. in principio, & Vulgaris apud Diuum Thomam 1. p. q. 19. art. 8. & q. 22. art. 4. 1. contra gentes cap. 85. & saepe alias, & ratio evidens est, quia quando Deus praescit ab aeterno actum charitatis ab homine praedestinato in via factum, & reliquos actus virtutum supernaturalium, simul cognoscit Deus tales actus esse meritorios: atqui non possunt esse meritorij, nisi sint liberi; omne enim meritum in libertate fundatur, & ideo Beati in patria augmentum premij & gloriae non merentur per actum charitatis quem perfectissime exercerent, quia talis actus charitatis non est liber, sed

I. P. Tom. II.

necessarius: ergo Deus sua praescientia cognouit ab aeterno actus virtutis ab homine supernaturaliter factos in via non solum esse futuros, sed etiam libere futuros: ergo de facto futuri erunt liberi adhuc praecedente scientia Dei ab aeterno: ergo antecedentia, & praecedentia seu suppositio praescientiae ab aeterno non tollit vlllo modo libertatem.

Item ex suppositione absoluta intentionis finis sequitur necessario electio mediorum, & nihilominus illa necessitas stat simul cum libertate si intentio illa libere fiat; denique voluntas in eo momento, in quo actum elicit libere operatur, & tamen dum operatur vniui non potest contrarium simul operari, nec in eodem momento non operari ponendo vtrumque simul, scilicet operationem, & non operationem, quia hoc involuit apertam repugnantiam, & contradictionem; res enim quando est necesse est esse, ut Arist. dixit 1. Perhyer c. 6. ergo prima necessitas quae ex suppositione vocatur stat cum libertate.

Secundam autem necessitatem haec exempla demonstrant, nam in patria suppositio luminis gloriae, & visionis beatificae necessitatem simpliciter inducit amandi Deum, quae necessitas libertatem excludit circa illum amorem.

Item motus voluntatis, qui dicuntur primo primi sunt necessarii simpliciter, ac proinde nullo modo liberi, quamuis non sine aliqua suppositione ex parte cognitionis illam necessitatem habeant, & simili modo actus gratiae excitantis sunt ita necessarii in nobis, ut non sint liberi, & ideo actus gratiae praeventis vocantur, & tamen non sunt necessarii nisi ex aliqua suppositione diuinae motionis, seu immisionis efficacis, vel ex parte subita apprehensionis.

Ratio autem a priori huius secundae partis est, quia non obstante naturali libertate potest voluntas multis modis necessitari, ita ut non sinatur libere operari; ergo potest aliquid supponi ad volendi actum, quod eius libertatem impediat: ergo est aliqua suppositio, quae tollat libertatem, & consequenter poterit esse necessitas aliqua in sensu composito contraria libertati.

De priori suppositione nulla est controuersia apud Catholicos, ut late materia de praedestinatione, materia de scientia materia de gratia discipulos meos docui, & iam typis mandandas quantum potui perfecti quod sic patet, quia si suppositio praescientiae Dei, & praedestinationis tolleret libertatem nulla daretur libertas in creaturis neque vllum opus liberum a creatura eliceretur, quia omne opus, quod a creatura in tempore elicitur a Deo ab aeterno euidentissimo praescitur: ergo si suppositio praescientiae, & praedestinationis tollit libertatem nulla erit libertas in creaturis. Deinde inductione est euidentis, quia voluntas in eo instanti, in quo libere operatur, licet prius natura quam eliciat actum sit indifferens ad vtrumque, & ideo neque actus, neque carentia eius habeant vllam necessitatem, tamen supposito, quod eliceret actum iam non potest in eodem instanti carente actu, sed habet illam necessitatem, de qua dixit Arist. quando est omne quod est necesse est esse illa: ergo non repugnat libertati, cum in quocumque actu libero necessario inueniatur; unde si tolleret libertatem talis suppositio, nulla daretur libertas, quia semper reperitur in omni actu elicto a voluntate talis suppositio.

Idem est de concursu Dei, concomitante imbibitioni in actu libero nostrae voluntatis, nam si illa

III esse

esse supponitur eo ipso usus libertatis supponitur, ideoque necessitas composita inde sequuta, non repugnat libertati actus: ratio denique in promptu est, quia usus libertatis non destruit libertatem respectu eiusdem; nihil enim destruit se ipsum, neque formalis constitutio, & existentia alicuius est destructio eiusdem formaliter, alias idem esset, & non esset simul, quod est contra evidentissimum omnium dignitatum axioma: ergo necessitas quæ sequitur ex suppositione ipsius usus libertatis non potest esse contraria eidem libertati.

52. Posteriores autem suppositionem certissimum est tollere libertatem, quia quoties suppositio omnino præcedit usum libertatis, & inter prærequisita ad agendum ponitur, & talis est ut illa stante voluntas tantum possit agere, vel tantum possit non agere compositivè, ut ita dicam, illa suppositio sine ulla dubitatione tollit libertatem, & usum liberum voluntatis in agendo vel non agendo.

53. Ratio autem huius evidens est, quia quando suppositio est antecedens in sensu dicto, id est non facta per usum libertatis, neque supponens talem usum liberum sed præveniens illum: effectus ex tali suppositione proveniens, & cum tali suppositione necessario connexus libertatem tollit, quia necessitas ex tali suppositione non est fundata in illo principio, impossibile est idem simul esse, & non esse, quia non sunt idem id, quod supponitur, & quod necessario sequi dicitur: ergo fundatur in alio principio, videlicet impossibile est poni talem causam sic affectam & prædeterminatam, & ex illa non sequi talem effectum distinctum ab ea conditione, vel affectione quæ in causa supponitur: ergo hæc non est necessitas secundum quid quæ dici solet consequentiæ: sed necessitas simpliciter & consequentis, quia est necessitas effectus ex sua causa, quæ est propria necessitas physica quæ in ipsa eff. ctione rei invenitur, & non est tantum illationis, & quasi ex mentis comparatione, qualis est in necessitate eiusdem rei ex sui ipsius suppositione.

54. Deinde, si suppositio illa antecedit omnino usum libertatis in eius positione non interuenit exercitium libertatis humanæ, neque etiam interuenit in ea manatione effectus à tali suppositione quia fit cum tanta necessitate ut non subdatur dominio eiusdem voluntatis, nec ipsa possit illam dimanationem impedire: ergo ille effectus in re ipsa non fit cum vi libero voluntatis humanæ: ergo non est liber: ergo sensus impositus ex tali suppositione non sufficit ad saluandam libertatem.

55. Denique posita huiusmodi suppositione voluntas etiam spectata prius natura quam operetur tantum potest vnum agere illud, scilicet quod ex tali suppositione sequitur cum necessitate quoad exercitium: ergo non agit ut potens agere & non agere positis omnibus prærequisitis ad agendum, ac proinde non agit cum libertate, quia libertas est posse agere, & non agere.

56. Nec satisfacit responso quod voluntas etiam tunc agit ut potens agere, & non agere, quia sub illa suppositione retinet totam suam potestatem ad vtrumque indifferentem.

Hoc inquam non satisfacit, quia illa potestas est ibi quasi sopita, & impedita quoad omnia alia præter illud vnum quod ex tali suppositione necessario sequitur, & ideo est tantum potentia remota ad plura, non vero est potentia proxima qualis ad usum libertatis exigitur: ergo sensus compositus ex tali suppositione tenet tollit li-

bertatem. Debet ergo in illo accipi suppositio consequens non antecedens in sensu à nobis declarato & de conuerso potentia in sensu diuino, tunc deservit libertati tuendæ quando illa intelligitur proxima in ipsa voluntate prius natura, quam se ad alteram partem determinet: tunc enim diuisio ipsa ut sic dicam est in potestate simpliciter ipsius voluntatis, alias indiuisio non est in potestate voluntatis, id est si aliquid in illa ponitur quod ipsa impedire aut remouere non potest, ut alterum ex duobus operetur tunc sensus ille diuinus inutilis est ad libertatem tuendam; nam in potentijs naturaliter operantibus talis potestas in sensu diuino reperiri potest.

## SVBSECTIO V.

*Nostri sententia ponitur, & probatur.*

Prima conclusio: concursus Dei cum causis lib. 17. beris non est aliqua entitas physice prædeterminans voluntatem ad vnum operandum. Hæc conclusio est communis inter Doctores Societatis, probatur hæc conclusio.

Primo ex Concilio Trid. sess. 6. Can. 5. ubi sic ait: [ si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum & extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, immo titulum sine refigmentum denique anathema sit: ] explicans autem ipsum Concilium Can. 4. quid sit hominis liberum arbitrium & quomodo libere operetur cum Dei concursu sic ait: [ si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo exeitanti atque vocanti quoad obtinendam iustificationis gratiam se disponat, ac præparet, neque posse dissentire si velit, sed velut in animæ quodam nihil omnino agere merereque passivè se habere anathema sit: ] & cap. 5. eadem pene verba repetit ibi: [ ut qui per peccata à Deo auersi sunt per eius excitantem atque adiuvantem gratiam ad conuertendum se ad suam ipsorum iustificationem eidem gratiæ libere assentiendo & cooperando disponantur, ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat in inspirationem illam recipiens quippe illam, & abijcere potest, neque tamen sine gratia Dei mouere se ad iustitiam coram illo libera sua voluntate possit; unde in sacris litteris cum dicitur conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos libertatis nostræ admonemur, cum respondemus: conuerte nos Domine ad te, & conuertemur, Dei nos gratia præueniri confitemur. ]

Accedit Concilium Zenonense in decreto 15. 59. fidei definiens: [ non esse tale Dei trahentis auxilium, cui resisti non possit. ] Aduerto Concilium Zenonense, licet non sit generale, neque à Romano Pontifice confirmatum, habere tamen magnam auctoritatem in Ecclesia, quod adeo verum est, ut merito censetur temerarius qui ei contradicere auderet, ut bene probat P. Suarez tom. 1. de gratia, Prolog. 6. cap. 5.

In his enim verbis vtrumque Concilium manifeste docet duo. Primum esse de ratione libertatis potestatem ad resistendum cuius motioni præuenienti consensum eius. Secundum nullam motionem antecedentem ita determinatam liberum arbitrium, ut non relinquat in illo potestatem resistendi motioni.

Hanc

61 Hanc vero esse mentem Concilij patet imprimis ex illis verbis Canonis IV. [neque possit dissentire si velit] & ex verbis capitis 5. [neque homo ipse nihil omnino agat inspirationem illam recipiens, quippe qui illam, & abicere potest.] Vbi confidero verbum illud agat in omni proprietate, & rigore sumptum esse à Concilio prout est in usu apud morales philosophos ad indicandum modum agendi, quem vocant, à proposito, idest ex proprio arbitrio, & ratione, quo loquendi genere vsus est Aristoteles lib. 1. *magnorum moralium. cap. 12.* ubi sic ait: [neque enim inanimatum aliquid aliquid agere dicimus, neque etiam animalium circa hominem, quidquam. Manifestum igitur actionum hominem esse progenitorem,] sic etiam Damascenus lib. 2. *cap. 27.* dixit: [inanimata non agere se ad agi,] quem locum ita citat Diuus Thom. *quæst. 5. de veritate art. 9. ad 4.* ut ibi asserat *ro agere* ibi significare operari cum dominio sui actus, quamvis littera Damasceni iuxta aliam versionem aliter se habeat.

62 Quod igitur Concil. in hac proprietate loquatur, colligo imprimis ex substantia ratione ipsius Concilij, probat enim hominē non omnino nihil agere, seu non posse dici omnino nihil agere quando inspirationem recipit (tribuit rationem) quia illam abicere potest & illi potest resistere: loquitur ergo de propria actione cum dominio, nam ad solam effectiōem physicam, non erat necessaria potestas non agendi.

63 Deinde idem colligo ex errore quem Concil. damnare intendit scilicet hæreticorum huius temporis, qui dicunt, [hominis voluntatem ita ex necessitate moveri à Deo ut sic mota non possit non agere id ad quod mouetur, neque possit abicere talem motionem, aut illi resistere,] cum tamen non negent voluntatem efficere suum actum, & ad illum tanquam ad actum vitæ physice concurrere, quia neque ad suum errorem id erat necessarium, neque ex verbis eorum id colligi potest, sed oppositum potius, ut aperte constat ex his, quæ refert Cardinalis Bellarminus; vnde eodem sensu accipienda est definitio Canonis IV. eiusdem Concilij decernentis liberum arbitrium dum assensum præbet gratiæ aliquid agere, & non mere passivè se habere scilicet quoad determinationem ad vnum, ergo doctrina Concilij etiam si definiat actionem physicam præcipue tamen ita agere ut cum dominio agat, ac proinde ut ipse non deatur moraliter mere passivè se habere in suis determinationibus, necessariam esse potestatem resistendi motioni cuiusque antecedenti, & abiciendi illam, adhuc quando Deus illam tribuit, aliquin non esset potestas ad resistendum motioni, vel ad abiciendam illam, quia resistentia est respectu illius, quod est, & actu reperitur, & non respectu illius, quod non est. Item quia abicere aliquid supponit aliquid, quod abiciatur. Vnde irridetur ille, qui diceret se actu abicere lapidem, qui actu non est productus neque à parte rei est.

64 Denique constat hanc esse mentem Concilij, quia non ex natura motionis supernaturalis ut talis excitat colligit potestatem resistendi illi, sed ex eo quod illa motio non aufert libertatem, sed potius tribuitur libero agenti ut libere, & non coacte agat: ergo saltem implicite docet hanc potestatem semper relinqui in homine, siue motio motione naturali siue supernaturali, antecedenti, quia libertatem non tollit.

65 Ergo è contrario præmotio, quæ hanc potestatem tollit, non potest.

I. P. Tom. I I.

statem aufert impedit libertatem siue sit motio excitans siue quacumque alia ratione prædeterminans physicè, verba enim Concilij in rigore sumpta generalia sunt, scilicet liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum &c. nam sub nomine motionis ex vi vocis comprehenditur omnis actio diuine gratiæ, quæ consensum hominis antecedit & ad illum præstandum hominem inclinât, idque nemo negare audebit qui legerit, quæ referuntur accidisse in secunda parte actorum eiusdem Concilij Tridentini sub Paulo III. anno M. D. XLVI. nam ut habetur *sol. 1. 4.* quidam ex Theologis proposuit expediens sibi videri, ut illis generalibus verbis canonis IV. [neque possit dissentire si velit] hæc adderentur [communis vocatione] renuit tamen Concilium, neque enim expedire sensuit ut aliquid adderetur, quo limitarentur verba, quæ data opera, ac de industria posita erant, sine vlla limitatione, ut amplecterentur, & includerent sua significatione, quidquid in homine antecedit liberum consensum voluntatis.

66 Mentem hanc Concilij satis aperte declarant, (si attente perpendantur,) eiusdem Canonis verba illa [si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti &c.] ergo plane sentit inter totam diuinam excitationem, seu motionem & liberum voluntatis consensum non intercedere aliam actionem Dei: ergo, vel Concilium excludit omnem motionem antecedentem, quæ non sit per modum vitalis excitationis, seu vocationis, quod nos intendimus, vel si non excludit omnem aliam actionem, vel qualitatis impressionem necesse est fateri ex mente Concilij hanc contineri sub vocatione sufficienti & illam comitari, & talem esse, ut etiam illa posita possit voluntas resistere, & non consentire.

67 Probatur consequentia, quia alias inanis esset Concilij definitio nullaque vim contra errores huius temporis haberet; nam hæretici facile concederent non necessitari à Deo per vocationem, seu excitationem sed per aliam occultam gratiam, vel motionem ad quam liberum arbitrium solum passivè concurrat moraliter, sine vi, ac potestate abiciendi illam & resistendi ipsi: ergo huiusmodi motionem, quæ inter vocationem & liberum consensum tollens potestatem resistendi intercedat Concilium excludere intendit, & decernit nullo modo dari illam præsertim si talis sit, quæ non compatiatur cum tali potestate resistendi, quod autem Concilium loquatur de efficaci auxilio manifeste patet quia loquitur de auxilio per quod consentit de facto ut patet ex illis verbis per eius excitantem atque aduocantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum iustificationem, eidem gratiæ libere assentiendo & cooperando disponantur &c. [Can. 5.] si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti quoad obtinendam iustificationis gratiam se disponat ac præparet neque posse dissentire si velit &c. [vbi aperte loquitur Concilium de auxilio illo excitanti quo de facto se præparato disponit, & operatur homo in ordine ad iustificationem, de quo decernit Concilium talis esse conditionis, ut licet actu moueat ad operandum ita tamen mouere voluntatem hominis, ut ipsa voluntas possit resistere illi & potuisset abicere illam non consentiendo illi, neque operando, eo modo, quo de facto operatur.]

68 Sed auxilium illud per quod de facto operatur, & disponit se homo ad iustificacionem, est auxilium supernaturale efficax, quia auxilium solum sufficiens & efficax non mouet ita, vt de facto homo motus per illud operetur, alias non esset inefficax, & solum sufficiens, sed potius efficax; ab actuali enim operatione, & effectione, euidenter à posteriori colligitur auxilium præcedens illam effectionem & mouens ad illam esse efficax, & non inefficax: ergo ex decreto Concilij colligitur manifeste, auxilio efficaci, cui non resistit de facto voluntas posse resistere illam si voluisset, & abiecere ipsum si placuisset.

69 Ex his igitur omnibus, sic argumentum efformo, quia ex mente Concilij adhuc posito concursu seu motione diuina debet dari indifferentia in voluntate ad operandum, vel non operandum, itaut possit operari si vellet, quo operando motioni, & concursui, aut si vellet, possit non operari resistendo tali motioni, & non operari, nec secundum illum concursum producere: ergo conclusio aduersariorum opponitur immediate Concilio; ynde nullo modo debet subtrahi. Consequentia sic probatur, quia per aduersarios talis concursus est entitas physice prædeterminans voluntatem, ita vt non possit voluntas posita illa motione, non cooperari illi nec habeat indifferentiam, ad cooperandum & resistendum illi, sed necessario debet cooperari illi: atqui Concilium asserit adhuc posita illa motione posse voluntatem cooperari aut non cooperari, habereque indifferentiam ad vtrumque: ergo conclusio aduersariorum immediate opponitur definitioni Concilij. Quod autem aduersarij asserat posita tali prædeterminatione voluntatem necessario debere cooperari illi, patet ex his quæ docet Bannez 1. p. q. 14. art. 3. i. dub. vlt. *vers. Autem explicamus*, vbi de causa prima sic ait, quæ ita determinat omnes causas secundas ad suos effectus producendos, quod nulla causa secunda potest exire à sua determinatione, &c. q. 2. 3. art. 5. ad 7. sic ait, itaque suauiter quidem, & efficaciter Deus mouet voluntatem, nec effectus diuinæ voluntatis impediri potest à voluntate nostra, & art. 3. dub. 3. in solutione ad 6. sic ait, ipsamet concurrentia liberi arbitrij effectus est necessario consequens necessitate consequentis ex diuino auxilio efficaci, quare si necessario sequitur, non poterit voluntas resistere auxilio efficaci Dei, &c. 2. 2. q. 1. dub. 2. *documentum* 3. idem ait, eodem modo loquitur Nauarrete tom. 2. *controu.* 19. §. 1. & *controu.* 21. §. 3. quibus consentiunt omnes Thomistæ Aluarez, Ledesma, & reliqui.

70 Dices Concilium solum loqui de motione supernaturali, & non naturali.

71 Contra & primo aduersus hanc solutionem insurgunt omnia iam nuper dicta, vbi aperte demonstrauimus doctrinam Concilij circa hoc non esse particularem, sed vniuersalem de omni motione; nam licet præcipue loquatur Concilium de supernaturalibus actibus, nihilominus à fortiori procedit in quibuscunque aliis naturalibus, atque ita in genere de actibus liberis voluntatis vim habet decretum Concilij. Tunc quia ratio, quæ Concilium mouet est indifferentia libertatis, quam habet creata voluntas, & quam non destruit talis motio, sed potius ita mouet eam vt libertas ex vi talis motionis exercendo se iuxta iura & naturam virtutem indifferentem perficiatur per tale exercitium; sed eadem libertas est in omnibus motionibus, etiam naturalibus, ratione quorum nullo modo destruitur, sed potius perficitur voluntas:

ergo etiam in motionibus naturalibus tenet decretum Concilij Tridentini.

72 Tum & à fortiori etiam, quia multo maior motio, & efficacia Dei necessaria est in supernaturalibus actibus, quam in cæteris, ac proinde magis subditur voluntas talibus motionibus & Deo mouenti supernaturaliter, quam motionibus naturalibus, & Deo comouente naturaliter; nam voluntas creata operatur mota supernaturaliter per auxilium efficax supernaturale opus seu effectum supernaturale, ad quod mouetur per tale auxilium, vt causa instrumentalis eleuata omnino ex vi potentie, pure obedientialis, vt ipsi aduersarij Thomistæ fatentur; at vero, quando mouetur naturaliter ad opus naturale, non est causa instrumentalis, sed principalis, ac proinde non eleuatur à Deo, neque operatur ex vi potentie obedientialis, sed potius ex vi naturæ virtutis principalis, habendo plenum, & perfectum Dominium in talibus operationibus cum plena, perfecta & completa indifferentia ad operandum, vel non operandum ad libitum propriæ voluntatis, quia in his operationibus Deus non est causa principalis particularis, sicut est in operationibus supernaturalibus; ergo, si in operationibus supernaturalibus, vbi rationes supradictæ concurrunt, & magis subditur voluntas creata Deo mouenti fortius & efficacius quam in naturalibus, eo solum, quod conseruatur libertas, tenet id, quod Concilium decernit, videlicet quod detur potentia ad resistendum motioni, &c. à fortiori vim habebit decretum Concilij Tridentini concedentis virtutem, & potestatem resistendi & abijcendi diuinam motionem, quando vouetur naturaliter, &c.

73 Deinde certum est Concilium loqui de motione Dei præueniente nostram voluntatem, ynde cum definitio eius doctrinalis sit, erit etiam generalis, & vniuersalis, ac indefinita, ac proinde complectens omnes motiones, tam naturales, quam supernaturales, quia eadem ratio est de quacunque præueniente motione, quæ libertatem non tollat; nam ad hoc ait Concilium necessarium esse vt possit voluntas resistere Deo non obstante motione, & excitatione diuina, itaque tota hæc ratio fundatur in hoc, quod quotiescunque Scriptura, vel Concilia doctrinaliter loquuntur, sine dubio vniuersaliter, & non particulariter, verbi gratia, dum dicitur in scriptura: nisi quis tenatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto non intrabit in regnum celorum, vbi licet particularis propositio sit vtpote constante subiecto particulari, nihilominus quia doctrinalis est vniuersalis, quod clarius videtur in altera propositione videlicet, qui perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit, ac si diceret omnis qui perseuerauerit vsque ad mortem in gratia saluabitur. Item, quando in Concilio Lateranensi definitur hominem componi ex materia, & forma, talis propositio non solum quia est in materia essentiali, sed etiam quia est doctrinalis, est vniuersalis complectens omnem hominem. Item quando in Concilio Tridentino sess. 6. *can. 1.* sic decernitur, si quis dixerit hominem suis operibus, &c. absque diuina per Iesum Christum gratia posse iustificari coram Deo anathema sit, licet videatur propositio particularis, vtpote habens subiectum illud, quis de numero singulari; nihilominus tamen quia doctrinalis est vniuersalis; imo omnes Canones Conciliorum præcipue Concilij Tridentini, licet subiecto numeri singularis indefiniti, aut vagi gaudeant, nihilominus æquivalent in tali subiecto vniuersali, omnis, etiam si sint in materia

## Quæst. II. In quo consistat actus liber Dei. 437

materia contingenti, sed etiam definitio hæc circa motiones Diuinas est doctrinalis: ergo est vniuersalis, & generalis complectens omnes motiones tam supernaturales, quam naturales.

### SVBSECTIO VI.

*Solutiones aduersariorum oppugnantur.*

74 **R**espondent aduersarij Concilium non loqui in sensu composito sed in sensu diuiso, id est posse voluntatem resistere Deo, non existente Dei motione, quia si componatur motio illa prædeterminans cum voluntate creata non poterit resistere Deo mouenti.

75 **C**ontra euidenter, quia hoc falsum esse indicant verba illa Concilij, quippe qui illam abiicere potest, & illi possit dissentire si velit: ergo stante illa motione, vel concursu potest illam voluntas abiicere; quia vt supra dixi nemo dicitur abiicere nisi id, quod habet, aut quod ei offertur, quia quod non habet quomodo abiicit, & quomodo potest resistere voluntas motioni, & excitationi quæ nõ est, resistantia enim supponit existentiam rei cui debet resisti, sicut rei quæ debet resistere: ergo si talis res, cui resisti debet non datur, nullo modo potest dari resistantia, sed Concilium aut voluntatem posse resistere vocationi, & abiicere motionem diuinam: ergo supponit Concilium existeretalem motionem, & vocationem, & potentiam resistendi illi, sicut & potentiam cooperandi illi dari supposita tali motione & vocatione, ita vt in sensu composito talis vocationis cum voluntate, & ex suppositione motionis diuinæ existentis, & vocantis voluntatem posse ipsam dissentire, si velit vocationi diuinæ & abiicere illam, & si velit posse cooperari illi.

76 **C**onfirmatur, quia nemo etiam amens potest dicere se posse abiicere, & expellere preces, & rogationes Petri, eo quod possum ego Petro non petente non facere, quod nunc petit, postquam ego non feci, id, quod nunc petebat, hæc sane esset ridicula loquutio, quod clarius adhuc constat ex verbo resistere, quo vtitur Zenonense Concilium; quis enim dicat se posse facile resistere tentationi, tempore, quo nullo modo tentatur, resistantia enim veram tentationem supponit: ergo dum dicitur arbitrium posse resistere gratiæ trahenti, significatur sine dubio posse arbitrium humanum coniungere dissensum ex sua parte, cum illo auxilio, & vocatione ex parte Dei, ita vt quando simul Deus vocat, & excitat non obstante tali vocatione, & excitatione resistat voluntas Deo non cooperando vocationi ipsius, sed potius, aut non faciendo, secundum talem vocationem, aut faciendo contra ipsam, quia resistere formalissime est coniungere dissensum cum vocatione, & auxilio, cui resistitur: ergo posse resistere est habere integram & sufficientem potentiam, aut vocationem & motionem diuinam qua Deus actum mouet voluntatem vt abiiciat, & illi se opponat.

77 **D**einde, quia si Concilium loqueretur solum in sensu diuiso non adstrueret sufficientem voluntatem arbitrij ad consensum, vt videbitur postea.

78 **P**ræterea euidenter hoc conuincit propositio illa liberum hominis arbitrium à Deo motum, &

excitatum, nihil cooperari Deo excitanti, atque vocanti, neque posse dissentire, &c. nam sensus compositus nihil aliud est quam concretum ex libero hominis arbitrio, & motione diuina seu diuina excitatione, ita vt ex tali libero arbitrio, & motione diuina & excitatione resulteret hoc concretum motum, & excitatum, quod & habeat indifferentiam ad resistendum tali motioni, si velit, vel ad cooperandum illi: sed Concilium Tridentinum dicit expressis verbis liberum hominis arbitrium, non nudum, sed motum, & excitatum, hoc est concretum ex motione, & libero arbitrio posse resistere, vel cooperari: ergo Concilium Tridentinum definit adhuc in sensu composito ex voluntate, & motione, id est quando motio, & excitatio ita coniunguntur, & informant voluntatem, & liberum arbitrium, vt cum eo componant compositum hoc nimirum motum, & excitatum habere indifferentiam, & potestatem ad operandum, vel non operandum id, ad quod inclinatur, & mouet Deus per talem motionem & vocationem, item ad resistendum, & non resistendum illi; vnde iuxta ipsius Concilij Tridentini doctrinam non tantum in sensu diuiso, sed potius in sensu composito necesse est vt habeat in voluntate potestas ad vtrumlibet, si vera libertas voluntatis conseruanda, & tuenda sit: ergo è contrario si illa præuia determinatio non relinquit potestatem non operandi, quæ possit cum illa componi, sed potius positas, illa determinata manet voluntas ad vnum, & nullam indifferentiam habet ad operandum, vel non operandum, plane talis prædeterminatio destruit libertatem in ipso vsu iuxta doctrinam Concilij.

79 **E**xplicatur amplius, & interrogo, quid aliud sit motum & excitatum non potest dissentire, quam præsentis & durantis illa motione, & excitatione dissentire non posse, quod etiam ex eo patet, quia cum initio Canonis ait, si quis dixerit liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, loquitur in sensu composito, vt per se patet ex illo verbo cooperari, cooperari Deo non habet locum nisi præsens sit operatio Dei, qua per excitationem ipse in nobis operatur, vt assentiatur, cooperari enim dicit respectum ad aliquem operantem simul cum voluntate, quia cooperari est duo operari, sicut coexistere est duo simul existere: ergo si cooperatur voluntas, simul operatur Deus, ac proinde cooperari voluntatem dicit sensum compositum suæ operationis cum operatione diuina: ergo etiam id, quod sequitur neque posse dissentire accipiendum est in sensu composito, alioqui ineptissime mutaretur forma loquendi, & Lectori aditus pateret vt deciperetur.

80 **Q**uod etiam ex eo colligitur, quia non potest liberum arbitrium dissentire Deo excitanti, & vocanti; nisi adhuc sit excitatio & vocatio Dei, si enim cessauit excitatio, & vocatio, & tunc solum posset dissentire non dissentiret, nec repugnaret, aut resisteret excitanti & vocanti, sicut enim vbi nulla est Dei operatio, non datur Deo cooperari, ita vbi nulla est excitatio non potest dari Deo excitanti resistere.

81 **T**andem impugatur ex intentione Concilij, quæ fecit errorem Caluini; Caluinus autem non negabat arbitrium motum à Deo posse dissentire in sensu diuiso, hoc est posse non consentire, si non efficaciter vocaretur, non erat adeo mentis inops Caluinus, vt hoc negaret, imo toto animo prædicabat deficiente hac motione efficaci

III 3 voluntas

voluntatem humanam in suis sordibus obdurecere, & ideo dixit Caluinus *in suis institutionibus* cap. 2. n. 70. & cap. 3. §. 10. gratiam efficacem non mouere voluntatem, qualiter multis sacralis traditum est, ac creditum, ut nostræ postea sit electio omnis motioni, aut obtemperari aut resisti: ecce loquitur aperte in sensu composito auxilij cum voluntate, non in sensu diuiso; resisti enim est auxilio iam excitanti resistere: ergo in eodem sensu composito debuit condemnari à Concilio; alioquin non damnaretur Calvinus sed alius error, qui adhuc in nullius mentem venisset.

82 Aliter autem alij respondent, dicentes posse liberum arbitrium resistere vocationi gratiæ excitantis, videlicet, illuminationi, & inspirationi secundum se, & de hac solum loqui Concilia non tamen posse resistere prædeterminationi physica.

83 Sed impugno hanc solutionem facillime primo ex verbis Senonensis Concilij, ubi vniuersaliter negatur de omni auxilio Dei trahentis esse tale, cui non possit resisti: ergo ex Concilio, vel non datur auxilium prædeterminans, vel ei etiam potest resisti; unde si posito auxilio prædeterminante non potest voluntas resistere illi: ergo tale auxilium prædeterminans, velit nolit voluntas trahit illam ad operationem, ac proinde, dum actu est in voluntate, impedit libertatem illius sicut impediret libertatem pueri, aut infantis, homo robustus, & fortis, qui ita prædeterminaret, aut impelleret talem infantem ad motum ut non posset infans resistere tali impulsui: atqui Concilia absolute decernunt omnem, & quantumque motionem efficacem Diuinam, vocantem, & excitantem voluntatem ita attemperari cum illa, & ita illam indifferentem relinquere, ut ex vi libertatis propriæ possit ipsa voluntas aut assensire tali motioni, seu cooperari, aut resistere illi, vel dissentire ipsi, si velit: ergo si prædeterminatio vestra ita cogit voluntatem, ut ipsa posita, nullo modo possit resistere tali voluntati: sed necessario rapitur ab illa sine resistentia vlla ad operandum, sine dubio talis prædeterminatio, immediate opponitur decretis Conciliorum, ac proinde non erit admittenda.

84 Secundo impugno eandem solutionem ex ipso Tridentino dicto *Can. 4.* cuius mens fuit posse arbitrium resistere omni auxilio præuenienti, ut patet ex supradictis, & deinde euidentius liquet, quia si solum loqueretur de illuminatione, & non de omni auxilio præueniente nihil egisset contra Caluinum, qui facile concederet posse arbitrium resistere illuminationi, dum tamen assignaretur ei aliud auxilium ex se ita efficax ut non possit abici, & quod traheret inenitabiliter voluntatem ad consensum: si ergo Concilium hunc Caluini errorem omnino tollere intendit de omni pro ipsius auxilio præuenienti debuit dicere esse tale, cui homo possit resistere.

85 Deinde hæc solutio solum verbis differt à præcedenti, nam licet videatur concedere potentiam in sensu composito: sed reuera eam non concedit, vel loquitur omnino inconsequenter, pro quo aduerte aliud esse arbitrium simul cum auxilio habere potentiam ad dissentiendum cessante auxilio efficaci, aliud vero quod stante auxilio habeat potentiam ad coniungendum dissensum cum auxilio.

86 Primum non facit ad mentem Concilij, nam Concilium non solum vult coniungi auxilium

cum potentia ad actum contrarium, & fieri sensum compositum auxilij, cum hac potentia, sed ulterius vult in arbitrio esse potentiam ad faciendum sensum compositum auxilij cum dissensu. Hoc enim est vt vidimus posse resistere.

Si vero concedant secundum, loquuntur inconsequenter, nam si potest coniungere libertas auxilium illud cum dissensu: ergo auxilium illud, seu concursus non est ex se efficax, nec physica prædeterminatio, vt supponunt, quia auxilium ex se efficax est illud, cui ex se repugnat carentia consensus; hoc autem auxilium per se non repugnat coniungi cum dissensu: ergo non est de se efficax, ac proinde non determinat infallibiliter ad consensum, vel saltem hæc infallibilitas non fundatur adequatè in entitate auxilij, sed in aliqua ratione morali, vt nos concedimus.

Propter hæc deuenerunt ad aliam solutionem, & concedunt liberum arbitrium posse componere, & coniungere dissensum cum auxilio si auxilium spectetur secundum suam physicam entitatem, & hoc modo loqui Concilia, si vero illud auxilium spectetur prout subest decreto efficaci Dei volentis quod arbitrium operetur, & consentiat non potest coniungi cum dissensu, ita respondent Alvarez *lib. de auxiliis, disput. 93. numer. 4.*

Sed improbat facile hæc solutio, quia vel illud decretum, & intentio Dei habet se omnino extrinsece ad entitatem auxilij, vel ponit in ipso auxilio aliquid intrinsecum reale, vel modale, ratione cuius non possit coniungi cum dissensu: si dicas hoc secundum redeunt omnia argumenta supra facta, nam loquor de entitate illius auxilij prout affecta illo modo intrinseco physico, ratione cuius induit intrinsece ratione efficacis, & interrogo an cum illo possit coniungi dissensus vel non? si potest: ergo ut sic non est efficax, nec physica prædeterminatio, quia vt efficax est prædeterminatio non potest coniungi cum dissensu si non potest: ergo aliqua vis est intrinseca in voluntate ex parte auxilij præuenientis, cui voluntas non potest resistere, quod videtur contra Concilium; si vero dicas auxilium secundum totum intrinsecum, quod habet posse coniungi cum dissensu, non tamen prout subest extrinseco decreto Dei, hoc quidem non tamen esset solvere argumentum quam relinquere sententiam, & concedere illud auxilium non esse ex se efficax, sed solum extrinsece prout connotat voluntatem efficacem Dei, quia hic, & nunc tribuitur, & per consequens dicere debes hoc idem numero auxilium secundum suam entitatem physicam potuisse non esse efficax, si daretur per aliam Dei voluntatem non efficacem, quæ sententia si supponat scientiam conditionatam verissima est; si vero eam non supponat coincidit cum sententia quæ communiter tribui solet Scoto ponenti prædeterminationem extrinsecam per decretum Dei abolutum, & sic mutabatur sine dubio sententiam.

Totum id etiam confirmat idem Concilium, *sess. 6. cap. 13.* ibi: nemo sibi aliquid absoluta certitudine polliceatur, tamen in Dei auxilio firmissimam spem collocare, & reponere omnes debent, Deus enim nisi illi ipsius gratiæ defuerint, sicut cepit bonum opus perficiet operans velle & perficere, at si requiritur ad singulos actus auxilium illud efficax ex se, quod non nisi paucis ex diuina ordinatione est præparatum quomodo omnes possunt, & debent firmissimam spem

## Quæst. vlt. De concursu Dei cum creaturis. 439

in Dei auxilio reponere cum omnino sint incerti, an Deus ipsis illud auxilium præordinauerit: non enim possunt firmam spem ponere in eo auxilio, quod an mihi præparatum sit ignoro. Farius esset Dux militiæ, qui firmam spem poneret in auxilio, & superis incertis, Rursus quomodo possumus deesse gratiæ Dei, si nobis præparatum sit auxilium per se efficax, & quomodo possumus non deesse si tale auxilium paratum nobis non sit?

91 Denique quomodo dicitur, quod Deus operabitur velle, & perficere nisi gratiæ ipsius desimus, cum ipse per auxilium prædeterminans facere debeat ne desimus? sane non capio, quomodo aliquid horum iuxta hanc sententiam apte dici, aut explicari possit?

92 Iuxta nostram vero omnia sunt facilia, debemus enim in auxilio eius firmissimam spem ponere, qui certi sumus nihil nobis ad salutem necessarium ex parte eius defuturum; unde si non desimus ipsius gratiæ, id est si nos ea faciamus, quæ possumus, & debemus, certissime salui erimus, quæ res homini est summo solatio.

93 Hinc patet primo cum eodem auxilio, quo gratiæ non desimus, ea vtendo posse nos illi deesse non vtendo, & cum qua illi desimus non vtendo posse nos non deesse vtendo.

94 Secundo patet Deum operari in nobis velle & perficere ex parte sua quidem, dum dat auxilium ad hoc opportunum, absolute autem, & simpliciter dum illi auxilio non desimus sequendo ipsum quocumque nos inuitat, & impellit. Tunc enim Deus per illud auxilium, tanquam per semen quoddam sacrum operatur nobiscum, & in nobis immediate ipsa bona opera, vt infra pluribus declarabitur.

95 Quibus vires maximas addit idem Concilium eadem sess. cap. 11. his verbis. Nemo temeraria illa, & à Patribus sub anathemate prohibita voce vtatur dei præcepta homini iustificato ad obseruandum impossibilia esse; nam Deus impossibilia non iubet, sed iubendo mouet & facit quod possis: & petere quod non possis, & adiuvat vt possis, sed si præter cetera auxilia requiritur ad singula opera motio quædam prædeterminans, quam habere non sit in potestate, vt potest quam Deus pro paucis prædestinauit plurimi profecto erunt, quibus præcepta Dei erant impossibilia, non enim sine hac motione possibilia sunt, quam ipsi habere non possunt, quia mihi non magis possibilis est præcepti obseruatio, quam illa dei præmotio, sine qua impossibilis est talis obseruatio, quare cum hac motio non sit in mea potestate, neque etiam obseruatio præcepti in mea potestate erit, quibus contradicit ipsum Concilium illis verbis: deus sua gratia iustificatos non deserit, nisi ab illis prius deseratur; nam si nemo habet in sua potestate auxilium necessarium, nisi ita sit efficax vt voluntatem prædeterminet, quomodo non plurimi sunt qui deseruntur à deo antequam ipsum deserant. Deserere enim est subtrahere, seu non dare auxilium necessarium: at plurimi sunt iusti, quibus tale auxilium in tentationibus non datur, idque absque illorum culpa.

96 Prius enim est auxilium non dari quam hominem cadere, & ideo cadit quia auxilium efficax ad resistendum non habet, vt optime ait Lessius.

97 Ergo ne in ista absurda incidamus, dicendum est in nostra potestate esse auxilium necessarium, vt ait etiam Concilium Atraniense in Canone 25. his verbis. Hoc etiam secundum fidem catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia,

omnes baptizati Christo auxiliante & cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint, & debeant, si fideliter laborare voluerint adimplere, vt quæcumque opera meritoria faciamus; unde tale auxilium, aut talis concursus necessarius non est physice prædeterminans voluntatem prius quam operetur.

Respondent aduersarij etiam posita Dei motione, & determinatione posse voluntatem dissentire, & non operari, dicunt tamen nunquam esse non operaturam, & hoc esse infallibile.

Sed imprimis hoc non potest consistere cum his propositionibus, posita dei motione voluntas non potest non operari, vel posita motione, necesse est operari, quas dicti authores & sæpe docent & bini Thomæ autoritate confirmant, qui in prima secundæ, quæstione 10. artic. 4. ad 3. sic ait: si Deus moueat voluntatem ad aliquid impossibile, est poni quod voluntas non moueatur, vbi non solum ait semper ita euenire, sed impossibile esse aliter contingere, quod verissime dixit; nam loquutus est de motione cooperatiua, quæ facta compositione includit actum ipsum: at prædicti authores illum interpretantur de hac motione præuia, per quam dicunt deum determinare voluntatem: ergo non possunt consequenter dicere, posita illa motione posse voluntatem illam abijcere prout Concilium decernit.

Deinde, quia nulla ansa datur ad hoc vt possit talis motio dici prædeterminatio physica; nam prædeterminatio est illa vt ipsi explicant, quæ ita determinat voluntatem, prius quam operetur ad operandum id, ad quod mouentur, vt non possit voluntas non operari, neque remaneat posita illa motione præcisa indifferentia in voluntate ad operandum, & non operandum, sed potius ex vi talis motionis manet voluntas determinata ad operandum solum; sed nunc dicunt aduersarij posita illa motione esse indifferentem voluntatem ad operandum & non operandum, & ex suppositione illius vocationis efficax posse operari, & non operari resistere tali vocationi, vel cooperari illi: ergo talis motio efficax, seu auxilium non est physica prædeterminatio: ergo iam mutant sententiam, & ponunt auxilium efficax, eo modo quo nos ponimus illud vi argumentorum coacti, in quo consistit maxima Societatis victoria.

Deinde interrogo, quomodo possit esse infallibilis cooperatio voluntatis ex suppositione talis motionis; nam si est infallibilis ex eo quod deus cognoscit ab æterno, quod si ponatur talis motio voluntas operabitur, quia ipsa voluitur sit, sine eo quod necessitetur ab ipsa motione, iam aduersarij non solum admittunt scientiam mediam, seu conditionatam, quam antea nolebant concedere, sed etiam in ordine ad illam ponunt efficaciam auxilij, quæ est tota & integra sententia Societatis.

Vel infallibile est, quod voluntas sit operatura posito illo auxilio infallibiliter, quia ex vi talis auxilij, ita determinatur voluntas ad operandum vt posito illo auxilio non possit non operari voluntas, & sic est incidere in omnes difficultates, & absurda, quæ supra indicauimus, propter quæ vitanda hanc vltimam solutionem excogitarunt aduersarij, quæ si recte ponderetur non est noua solutio, qua infringantur argumenta Doctorum Societatis, sed potius est cognoscere vim illorum, & ratione illius coacti ad nostram sententiam confutgere, extra quam non possunt sese accommodari recte locis expressis Conc. Trid.

Hæc veritas non solum sumitur ex Conc. Trid. sed

sed etiam ex Conf. Bracar. 1. capite 9. & 10. & etiam ex Leone 1. epistol. 91. quæ est ad Turib. Asturienf. Episcopum, capite 11. & etiam ex Leone IX. in epist. decretalis ad Petrum Antiochenum Episcopum, (quæ habetur in fine operum Leonis Primi,) qui in explicatione fidei Romanæ ita inquit, credo Deum prædestinasse solummodo bona, præsciuisse autem bona, malaque gratiam Dei præuenire & subsequi hominem credo, & profiteri, ita tamen ut indifferentia liberi arbitrij rationali creaturæ non denegem.

104 Inter alios etiam articulos Vvicleph in Conc. Constantin. sess. 8. damnatos 27. affirmabat omnia necessitate absoluta euenire.

Inter articulos item Lutheri à Leone X. damnatos in Bulla quadam, quæ habetur rom. 3. Conciliorum, post Concil. Lateran. sub eodem Pontifice 36. habebat liberum arbitrium, post peccatum esse rem de solo titulo.

105 In Conc. denique Trident. sess. 6. cap. 1. definitur in hominibus post Adæ peccatum liberum arbitrium minime extinctum esse, & Can. 5. habetur, si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum & extinctum esse dixerit, anathema sit; sed sic est quod si posita motione Dei non daretur indifferentia in homine esse destructum liberum arbitrium: ergo concursus Dei non est ita determinans voluntatem prius quam operetur ad operationem, ut posita illa non possit voluntas non operari ut asserunt aduersarij.

### SVBSECTIO VII.

*Locis Sacra Scripturæ probatur nostra sententia.*

106 PRIMUS locus probans hanc veritatem est Matth. 11. ibi: vae tibi Corozain, vae tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sydone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere poenitentiam egissent: Ex hoc enim loco constat non fuisse necessariam prædeterminationem physicam ad conversionem horum hominum; alioquin potuissent ipsi respondere Christo Domino, si in Tyro & Sydone factæ essent hæ virtutes, conuerterentur Tyri, & Sydonij, si eos simul prædeterminares physice, da nobis physicam prædeterminationem simul cum his miraculis, sicut dares illis, &c. nos etiam conuerteremur; cur ergo nobis opponis exemplum Tyri, & Sydonis, si nobis negas prædeterminationem quam illis dares ad conversionem; imo si Tyrios & Sydonios reliquisses solum cum his miraculis, cum quibus nos relinquis, non conuerterentur Tyri & Sydonij, sicut nos non conuertimur; quæ responsio optima excusatio esset sine dubio, si esset necessaria physica prædeterminatio, quæ omnino excusaret Iudæos ab increpatione & exprobratione Christi Domini, & aditum omnino occluderet alteri simili reprehensioni. Imo arguerent Christum incantum fuisse, & non prouidum, aut prudentem, in huiusmodi reprehensionibus; siquidem antequam tales tribueret Christus deberet animaduvertere responsonem tam claram, & quæ tam ad manum erat excusans Iudæos; sed hæc sunt maxima absurda, quæ ex concessione physica prædeterminationis sequuntur: ergo talis physica prædeterminatio non est concedenda.

Amplius declaro hoc & confirmo, quia Chri-

stus dominus reprehendendo Iudæos asserit eisdem numero auxiliis quæ Iudæis tribuebantur conuertendos fuisse Tyrios, & Sydonios, si illis attributa fuissent, sed talia auxilia tam interna quam externa, tam miraculorum quam motionum, & inspirationum quæ fere semper comitantur miracula, (de his enim omnibus loquebatur Christus dum in Iudæos sua increpatione inueheretur, ut asserunt Augustin. Hieronym. Ambrosius, Cyprianus, Fulgentius, & Chrysostomus,) non erant physice prædeterminantia: ergo physica prædeterminatio non est necessaria ex Scriptura ad conuersionem hominum, verbi gratia, Tyriorum, & Sydoniorum, siquidem cum auxiliis non physice prædeterminantibus, asserit Christus Tyrios & Sydonios fuisse conuertendos.

Minor illa sic demonstratur, quia auxilium physice prædeterminans ex sua entitate physica applicata voluntati cuiusque illam prædeterminat, sine eo quod habeatur respectus ad voluntatem; itaque physica prædeterminatio dicitur quæ ex vi propriæ entitatis applicatæ voluntati, sine eo quod amplius requiratur quam talis entitas physica auxilij & applicatio illius ad voluntatem rapit quamcunque voluntatem, non expectando, consensum illius, sed potius faciendo necessario ut tribuat talem consensum voluntas, & ut melius loquar extorquendo illum à voluntate; ita ut impossibile sit, (sic loquuntur aduersarij,) ut supposito tali auxilio, & ex suppositione sensus compositi, ut voluntas non operetur, aut non possit operari id ad quod mouet auxilium omnem voluntatem cui applicatur; itaque cum vis auxilij solum sit ex vi suæ propriæ physicae entitatis sine respectu ad voluntatem cui applicatur, omnem voluntatem rapit sine discrimine, si omni applicata fuerit, alias efficacia auxilij non fundaretur in physica entitate auxilij: sed potius in congruitate quæ sumitur à scientia media & ab usu libertatis sub conditione futuro & præuiso (quod est inducere nostram opinionem, & est exuere opinionem defendentem physicam prædeterminationem, quam nunc impugnauimus,) sed illa auxilia de quibus agit Christus in loco proposito non erant huiusmodi; siquidem applicata Iudæis non prædeterminabant illos, nec faciebant ut necessario conuerterentur; siquidem positis illis & ex suppositione sensus compositi illorum cum voluntatibus Iudæorum, non conuerterebantur, & ideo reprehendit illos Christus, quod suppositis talibus auxiliis non conuerterentur, quibus sine dubio conuersi fuissent si applicata fuissent Tyriis & Sydoniis: ergo talia auxilia non erant physice prædeterminantia, alias Iudæi sine dubio conuerterentur, sicut conuersi fuissent cum illis Tyrij, & Sydonij, si eisdem applicata fuissent, ut ait Christus asserunt sine ulla dubitatione.

Maiores huius syllogismi sic demonstratur, quia 107 auxilium prædeterminans physicum est causa naturalis respectu effectus conuersionis, ita ut naturaliter rapiat voluntatem, sine eo quod possit voluntas resistere illi in sensu composito illius, sicut verbi gratia, posito impetu in lapide ducente illum sursum, non potest lapis resistere tali impulsui, & sicut si homo etiam impellatur à fortiori non potest resistere illi, & necessario debet moueri ab impellente, quia talis impulsus impressus à fortiori est causa naturalis motus; item sicut lapis à propria grauitate ductus in centrum, sine eo quod lapis possit resistere; si similiter voluntas hominis posita entitate auxilij efficacis, ita rapitur voluntas

voluntas naturaliter vt non possit resistere voluntas creata: ergo.

107 Dices exprobrasse Iudæis Christum exemplo Tyrionum & Sydoniorum, quia suis peccatis impediebant physicam prædeterminationem plusquam Tyrj & Sydonij, quam si haberent ita raperentur ad operationem, vt non possent non operari, quid physica entitas auxilij rapit naturaliter voluntatem ad id quod mouet.

108 Sed contra, quia etiam ad euitanda peccata est necessarium auxilium efficax; vnde si auxilium efficax est physice prædeterminans ad vitanda peccata, erit necessaria physica prædeterminatio: vnde si talis physica prædeterminatio quam poterat ei dare, imo necessarium erat vt daretur ad euitanda peccata non dabatur, poterant optime respondere viri Corrozain, cur nobis exprobras, nolque reprehendis comparationem faciendo cum Tyrj & Sydoniis; siquidem non tribuisti nobis auxilium physice prædeterminans, sine quo non possumus conuerteri nec viri Tyrj aut Sydonij conuerterentur, vnde ex solis miraculis & motionibus, non physice prædeterminantibus, quibus nos moues non debes anam sumere ad nostram reprehensionem, vt incipies nobis, quia non vitamus peccata, siquidem hæc non possunt vitari sine physica prædeterminatione quam si tribueres Tyrj aut Sydoniis conuerterentur, sicut & nos conuerteremur & vitaremur peccata, si illam nobis tribuisses, quod si noluisse tribuere physicam prædeterminationem, nobis non mirum quod nos non conuertamur, neque euitemus peccata, neque etiam mirum est si Tyrj & Sydonij conuersi fuissent, & vitassent peccata media physica prædeterminatione; vnde sine vlla ratione reprehendimur componendo nos ad Tyros & Sydonios; siquidem ipsi vt vitassent peccata & conuersi fuissent, tributa fuisset physica prædeterminatio præter hæc miracula, quæ solum nobis relinquuntur sine physica prædeterminatione.

109 Secundo contra, quia hæc etiam maiora facta fuerant ex defectu prædeterminationis quam Tyrj & Sydonij habuerant ad vitanda illa peccata: ergo adhuc non esset hoc exemplum vile ad oburgandos viros Corrozain, possent enim respondere fac nos pares in prædeterminatione physica, & pares erimus in conuersione & vitatione peccatorum.

110 Tertio contra, & vrgo amplius interrogando, vnde proveniat quod Tyrj impedissent & viri Corrozain non impediant? certe nullam aliam ob causam, nisi quod illi bene vsi fuissent donis & auxiliis; Iudæi non bene vtantur: atqui quod illi bene vsi fuissent donis, & auxiliis proveniret ex eo quod Deus decreuisset, vt bene vsi fuissent & ob id eos ad hoc determinauisset vt ipsi docent; quod autem viri Corrozain non bene vtantur provenit ex eo quod non habuerint auxilium prædeterminans: potuerunt ergo se excusare viri Corrozain & dicere: Mirum non est si non siuis conuersi, aut euitauimus peccata, quia caruimus auxilio necessario, concursu nimirum prædeterminante ad conuersionem & vitationem peccatorum.

111 Quod si dicatur eos esse in culpa, quod caruerint tali auxilio eo quod impedierint ne Deus daret illis talem gratiam.

112 Respondeo id aliter fieri non potuisse, eo quod etiam caruerint auxilio necessario quo determinarentur ad vsum minorum bonorum, & ad non impediendum, quo auxilio si quis careret, necessa-

A. P. Tom. II.

rio deficeret, & non bene vteretur: imo non potest recte vti.

Deinde aut illud impedimentum libere ponebant aut non; si non: ergo non peccabant; vnde non demerebantur auxilium diuinum, nec ponebant culpabile impedimentum, ac proinde non poterat illis propter impedimentum illud adimere Deus maiora auxilia quibus solum solent homines priuari propter peccata; cum autem illud impedimentum non sit peccaminosum, nec culpabile, quia non est libere positum, inde est quod propter illud non mercantur homines priuari auxiliis diuinis.

Si autem illud impedimentum libere ponant, hoc erit quia prædeterminantur ad ponendum illud. Pater hoc primo, quia ipsi aduersarij asserunt non posse voluntatem liberam propter suam indifferenciam aliquid operando facere, nisi prius prædeterminetur physice talis voluntas ad illud opus; ita vt prædeterminatio sit causa talis operationis: atqui per vos tale impedimentum ponitur operando libere voluntas: ergo ponit voluntas illud, quia prædeterminatur à Deo, quod non poneret si non prædeterminaretur; vnde non mirum quod viri Corrozain ponant impedimentum, siquidem prædeterminantur à Deo physice, neque mirum quod Tyrj non potuissent, cum non prædeterminati fuissent.

Secundo quia ad omnem actionem causæ secundæ est necessaria physica prædeterminatio per vos, ita vt sine illa non potest causa secunda operari; sed voluntas operans illud impedimentum est causa secunda: ergo operatur illud physice prædeterminata.

Tandem quia si prædeterminarentur ad faciendum opus virtutis, non ponerent impedimentum: ergo quia non sunt prædeterminati à deo ad tale opus virtuosum, impedimentum ponebant.

Tum sic prædeterminatio illa non est in potestate libertatis, sed à deo solum ex mera sua libera voluntate ponetur, & posita illa non est in potestate voluntatis ponere illud impedimentum.

Item postquam positum est non potest voluntas abijcere illam: ergo posito talis impedimenti non est voluntati attribuenda, sed deo; vnde non deberent viri Corrozain reprehendi quod impedimenta posuerint ad hoc vt deus non tribuat auxilium efficax ad sui conuersionem; siquidem adhuc ad non ponendum illud impedimentum necesse erat vt deus physice prædeterminaret; vnde possent dicere de Tyrj & Sydoniis, illos mirum non esse conuertendos fuisse visis signis Domini, quia præter illa dominus daturus fuisset illis concursum prædeterminantem ad non ponenda impedimenta, & ad conuertendum te, quem concursum prædeterminantem nolebat Deus dare illis, quem si daret non poterant impedimenta ponere, nec minoribus beneficiis male vti, sed potius posito tali concursu conuerterentur sine dubio viri Corrozain, quapropter tota hæc differentia refertur solum in decretum dei, quo iis voluit dare auxilium determinans illis noluit.

Tandem quia Dominus aperte indicat virtutes sibi factas cum internis auxiliis coniunctas fuisse sufficientes ad agendam penitentiam sine nouo auxilio, quod non sit in eorum potestate, vnde D. Aug. c. 4. de dono perseverantie, ex hoc loco colligit quosdam habere in ipso ingenio naturaliter diuinum munus intelligentie, quo mouentur ad fidem, si congrua suis mentibus, vel audiant verba,

K K K

vel

vel signa conspiciant, quod nullo modo verum esset, si non possent moneri ad fidem, nisi Deus ad hoc physice eos determinet; siquidem efficaciam auxilij non ponit Christus in physica prædeterminatione, sed in congruitate ut sonant illa verba. [Si congrua suis mentibus.]

120 Et præterea, quia hæc solutio aduersariorum non coheret cum alia sententia illorum, qua dicunt hoc auxilium ante omnem præuisionem determinationis causæ secundæ esse iam ab æterno statutum & decretum; si enim possum impedire ne mihi Deus illud auxilium conferat; ergo non decreuit mihi illud absolute dare, nisi supposita præuisione, qua præuidit me non impediturum.

121 Secundus locus est Pauli 2. ad Cor. 6. [adiuantes inquit exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.] Ex quibus verbis constat, auxilium efficace, quod physica prædeterminatio dicitur, potuisse non esse efficace; ergo ex se non physice prædeterminat voluntatem, alias ex se non posset non esse efficace. Antecedens sic patet: ex sensu ipso verborum Apostoli; Paulus enim non hortatur Corinthios, ut haberent prædeterminationem physicam, cum hoc non esset in eorum potestate, sed ut non redderetur inefficax gratia, quam habebant; si illi nollent cooperari; unde hortatur illos, ut cooperentur: ergo poterant reddere inefficacem eam gratiam, quam per suasionem sua Paulus intendebat, & curabat, ne redderetur inefficax à Corinthiis.

122 Tertius locus sit *Isaia* 5. ibi: [quid ultra debui facere vineæ meæ, & non feci, an quod expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruscas?] ex hoc etiam modo increpandi, & obiurgandi constat potuisse ludæos sine physica prædeterminatione facere uvas, & non labruscas, id est opera studiosa & pietatis, & non mala, alioquin posset respondere; domine aliquid ultra faciendum tibi erat, ut vinea faceret uvas, & non labruscas, quod noluit facere; poterat enim prædeterminationem physicam exhibere, sine qua impossibile erat ferre fructus pietatis.

123 Tandem probatur hoc, quia *Deut.* 30. dicitur, testes inuoco hodie celum, & terram, quod proposuerim vobis vitam & mortem, benedictionem, & maledictionem, elige ergo, &c.] cui adiungitur locus ille *Prou.* 3. 1. operata est consilio manuum suarum, & Ecclesiastici *cap. ult.* [danti mihi sapientiam, dabo gloriam, consiliatus sum enim ut facerem illam;] ubi agnoscit, ut inquit Hieronymus, esse donum Dei, sed insuper opus fuisse proprio consilio deliberare, atque serio constituere de operis executione; quibus omnibus non solum facultatem, sed usum indifferentem, & cum dominio ad volendum, aut nolendum manifeste declarat Scriptura; sed si deus obtulit concursum ad vnum tantum actum physice prædeterminatum, nullus relinquitur usus indifferentis ad eligendum bonum, vel malum, neque relinquitur locus consilio ac deliberationi; quia determinatio illa omne humanum consilium, non solum ut in tempore existens, sed etiam ut ab æterno præuisum antecessit, & post illam determinationem nullum est relictum medium, nec potestas euitandi actum illum, nec alium faciendi: ergo talis concursus non est determinatus ad vnum.

Ut autem hæc pateant, fingamus hominem scire se non habere paratum concursum Dei ad ambulandum, sed omnino decreuisse Deum illi non auxiliari ut ambularet, numquid posset consulere de ambulatione, aut deliberare deambulando potius, quam non ambulando, & eligere vnum ex illis? certe non posset consulere, neque deliberare

de tali ambulatione, aut eligere illam, nisi esset amens, quia ipse cognoscebat certo non posse ambulare, quia non habebat concursum à Deo ad ambulandum: ergo quod nunc homines de suis actionibus consulunt, aut deliberant, solum est quia putant se habere potestatem indifferentem & concursum Dei in manu sua ad utramque partem; consultatio enim, & deliberatio tantum est ad eligendum aliquid ex iis, quæ habet in sua potestate; unde si non habet potestatem indifferentem ad plura, sed tantum est determinatus ad vnum homo, non potest consulere aut deliberare de tali opere faciundo, sicut verbi gratia. Beati non possunt consulere de amando, vel non amando Deum, quia ex vi luminis gloriæ, &c. physice prædeterminati sunt ad amandum, & hæc est ratio manifesta, propter quam natura negat brutis animantibus deliberandi, & consulendi perfectionem; nam cum bruta animantia sint determinata ad vnum sine vlla indifferentia, & dominio ad operandum, & non operandum, positis omnibus requisitis suæ naturæ convenientibus, ideo non indigent tali deliberandi, & consulendi ratione; unde si homines non habent in sua potestate paratum concursum ad utrumque, & dominium ad operandum, & non operandum, sine dubio decipiuntur, & existimatione tantum, ac errore libere videntur agere, non tamen reipsa, & vere, cum autem Scriptura sacra doceat hominibus datam esse potestatem eligendi, & consulendi, non falso, sed vere, & proprie: ergo euidenter sequitur, habere potentiam indifferentem ad utrumlibet, quod expresse docetur *Ecclesiæ* 3. 1. ibi, [qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit,] in quibus locis, cum sermo sit de potestate proxima, & morali, non sola potentia facultatis proxima, sed etiam indifferentis concursus Dei ad utrumque propositus, & oblatum euidentissime ostenditur sine vlla determinatione ad vnum, alias cum facit bonum, non posset facere malum; & sic impossibile esset facere illud; imo peccatori actui peccanti impossibile esset mandatum Dei adimplere; quod est contra illud *Deuteronomij* 30. [mandatum, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te, neque procul positum, ut possis dicere, quis nostrum valet ad cælum ascendere ut referat illud ad nos, ut audiamus & opere compleamus,

At quomodo hæc vera erunt, si ad singula opera mandata requiritur quædam impulsio physice prædeterminans diuinitus immixta, quam habere non est in potestate hominis, quæ non datur, nisi certis momentis, pro quibus est à Deo parata: nam supra te est hæc impulsio, id est, non est in tua potestate, tanquam in cælo posita; neque obtineri à te potest si Deus eam tibi ante præuisionem operum omnium non præparauit, quare etiam supra te est implere quodcumque mandatum, non enim magis potest implere quodvis mandatum sine illo impulsu, seu præmotione quam sine reuelatione prophetare, aut sine dono miraculorum miracula facere; utrumque enim pendet ex solo decreto Dei, & non est in tua potestate situm; ne ergo hæc sequantur, dicendum est, homines habere solutam, & indifferentem potentiam ad faciendum bonum & malum, unde Bernardus *tractatu de gratia, & libero arbitrio*, his verbis: *Ecclesiæ* 3. 1. nos hortatur, ut non abutimur libertate arbitrij, quam iam ostenderat necessitatis vinculo esse solutam.